

IN
CONVERSIONEM

Pauli Apostoli

COMMENTARIUS
PRACTICUS.


Authore

GEORGIO LÆTO.



V A R A D I N I,

Impensis ABRAHAMI K. SZENCI.
M. DC. LI.



L E C T O R I

Benevolo.

PAUCIS ab hinc diebus, non spe tur-
pis lucri: verùm amoris sinceri
Deum glorificandi, ejus Ecclesiam
ædificandi, Patriam denique nostram
adjuvandi zelo ductus, opusculum
Theologicum, Authore Georgio Læ-
to methodicè, sub titulo: *Peregrinatio
Pauli* conscriptum, accurato, quâ à no-
bis, aliis quoque similibus laboribus
intricatis, fieri poterat, studio, divina
favente gratia, imprimi curavimus.
Nunc rursus eodem prorsus spiritu, ze-
lo, & studio percussi, nonnullorùmque
ferventiorum verbi divini Ministrorũ
benigna exhortatione, imò & stimulo
compulsi, sub eadem spe, alteri quoq;
ejusdem Authoris præfati opusculo,
A 2 sub

sub titulo: *Conversio Pauli*, piè, clarè, & succinctè conscripto, à nobis propediem imprimendo manum admovimus. Tanta spe freti, tantum videlicet vobis abesse, hunc qualemcunque nostrum laborem, utilem tamen, apud vos incassum iri: quin imò, gratià Spiritus S. efficace assiduè impetratâ, modis & mediis à Deo ad id destinatis, diligentem dabitur operam, ut veram & sinceram complurium miserorum peccatorum conversionem, *Conversione hac* usi, experiemini. Tu ergo, Lector benevole, nostro labore fruire, eaque, quæ in eo maximè ad rem tuam faciunt, tibi aliisque ex peccatorum statu ad statum gratiæ convertendis, ut verus & sincerus Jesu Christi servus indefinenter suadeto, jugi labiorum sacrificio impetrato, ut tu quoq; labore tandem tuo, circa alterius Conversionem anxie laborans, ipse quoq; Conversus, fruaris. Vale.



COMMENTARIUS
PRACTICUS,
IN
CONVERSIONEM
PAULI APOSTOLI.

CONCIO I.

Text. Actor. 9. v. 1.

*Saul autem adhuc spirans minas ac cædem adversus
discipulos Domini, adiit Pontificem maximum.*

EXPLICATIO.



Admirabilem & præclaram
historiam Conversionis
Pauli ad Fidem Christia-
nam explanaturi sumus pra-
cticè, divina adjuvante gra-
tia. Antequam verò ad
ipsum Textum accedamus,

præfationis loco hæc quatuor breviter exami-
nabimus.

I. Dicemus aliquid de duobus Pauli nominibus.

II. Ostendemus, quando Saul cepit vocari Paulus.

III. Indicabimus quo anno à Christi passione fuit
conversus.

IV. Quo

IV. Quo tempore ejus ætatis hæc admirabilis conversio accidit.

I. DE nominibus Pauli Apostoli. Duo eum habuisse nomina, ita ut & Saul vocaretur & Paulus, plusquam clarum est. Non derivatur autem Saulus à Græca voce *σάλως*, significante turbulentam commotionem fluctuum marinarum; ita ut interposito *υ* fiat *Σαύλως*, id est, inquietus, turbulentus. Verùm ab Hebræo verbo (est enim Saul vocabulum Hebræum) *Shaal*; quod significat petiit, vel rogavit: quæ annotatio est *Erasmi*.

Paulus verò non est nomen Hebraicum neque Græcum. In nullo antiquo scriptore Græco reperitur; non in *Homero*, nec *Hesiodo*, nec *Herodoto*: sed tantum in posterioribus Historicis Græcis, sed iis qui Latinam historiam verterunt in Græcam, ut in *Plutarcho*, *Dione*: quod notat *Aretius*. Sed est vox Latina, inter Romanos usitata; ut *Paulus Æmilius*, *Paulus Fabius*, *Paulus Julius*, &c. quod observavit *Beza*.

II. QUANDO Saul cœpit vocari Paulus?

Quidam putant eum fuisse vocatum utroq; nomine statim à suâ nativitate; quod erat solumne apud Hebræos: ut *Mattheus Levi*. Verum si ita esset, nescio cur eum Lucas in ejus historia statim ab initio non vocavisset promiscuè *Saulum* & *Paulum*: quod tamen non facit, sed constanter eum appellat *Saulum*, usque ad 13 caput *Actorum*. Quo argumento repel-

luntur

luntur illi etiam, qui dicunt eum cœpisse vocari Paulum tempore suæ Conversionis. Neque eorum est verisimilis sententia, qui putant eum nomen Pauli obtinuisse à tempore conversionis Pauli *Sergii*; (de quo habetur *Actor. 13.*) cujus nomen (dicunt) sibi imposuit tanquam monumentum & memoriam triumphum quem egit de converso præcipuo inter gentiles viro, ad fidem Christianam. Nam non est hæc sanctorum consuetudo, ut ex ejusmodi occasionibus nomina sibi assumant. Nec videtur id convenire cum Pauli modestia & humilitate: neque cum ratione sana; nam *Sergius* ille potius debuit vocari Pauli nomine, quippe ab eo & conversus & baptizatus, quam Paulus ejus nomine appellari. sed falsam esse istam sententiam, ex eo patet, quod vocetur Paulus etiam antequam *Sergium* convertisset; *Actor. 13. v. 9.* Saulus autem (qui & Paulus) repletus Spiritu Sancto, &c. quæ conversionem *Sergii* præcesserant. Verissima est ergo *Bezæ* & *Catharini* sententia, eum ita cœpisse vocari tum, quum ab Ecclesia Antiochena Spiritus sancti jussu separaretur ad Christum inter Gentiles prædicandum: ita ut sit credibile, eum quandiu inter Judæos in Euangelio laboravit, fuisse vocatum *Saulum*, (est enim vox Sauli, uti jam monuimus, Hebræa:) sed postquam fuit ad prædicandum Euangelium inter Gentes vocatus, Romano cœpit vocari nomi-

ne, nimirum, *Pauli*: non tam ut ostendat se esse Romanum privilegiis, quam potius ut testaretur se esse Apostolum Gentilium; nam nomen illud cum esset Romanum, acceptius erat inter Gentes, quarum innumerae parebant Romano Imperio: Et fieri potest, ut *Saul* & *Paulus* eadem sint nomina effectu & significatione, nec differant nisi ut *Thodoricus* Latine, *Dietrich* Germanicè, & *Thierry* Gallicè. Vel, *Johannan* Hebraicè, *Johannes* Latine, *Hans* Germanicè, *Jan* Bohemicè; & *Paulus* Latine, *Paul* Germanicè, *Pawel* Bohemicè.

Perrerus contra hanc ultimam sententiam objicit, dicendo; Paulum postquam separatus fuit adhuc fuisse vocatum Saulum. Sed respondeo; Nunquam amplius vocatur solius Sauli nomine ex quo ab Ecclesia missus fuit. Ultimus locus, in quo Saul, (solo hoc nomine) vocatus est, reperitur v. 2. cap. 13. Actor. Ita verò missus cum Barnaba venit primò in insulam Salaminam, & ibi vocatur Saul conjunctim cum nomine Pauli; quo deinceps semper appellatur solo.

III. Quo anno à Christi passione fuit Paulus conversus? De hoc tempore tres invenio diversas opiniones. 1. Prima est eorum qui putant eum fuisse conversum anno à Christi passione septimo. Sed hoc non videtur esse veritati consentaneum: nam non est verisimile Ecclesiam Christi per septennium tam altà pace & tran-

tranquillitate usam fuisse, ut nullam fuerit ex-
 pecta persecutionem: quæ tamen prima fu-
 it illa, in qua periit Stephanus; qui ideo ab
 antiquis Patribus Protomartyr vocatur, & cu-
 jus martyrium non diu post subsequuta fuit
 hæc conversio. 2. *Secunda* est eorum, qui
 hanc conversionem ponunt in annum pri-
 mum Passionis Christi, in 25 diem Januarii.
 Sed quia vulgo & rectè creditur Stephanus
 martyrio coronatus eodem primo anno Chri-
 sti passionis 26 Decembris; non videtur potuis-
 se infra illud tempus quod effluxit inter mor-
 tem Stephani & conversionem Pauli, omnia
 illa evenisse, quæ commemorantur à Luca *cap.*
oçtavo Actorum: nam temporis illius spatium
 non nisi unius mensis fuit. 3. *Optima* ergo il-
 lorum videtur sententia, qui conversionem il-
 lam ponunt in secundum annum Passionis Do-
 mini, ita ut ab ejus passione usque ad conver-
 sionem Pauli, id est, ad 25 Januarii effluerit
 annus integer cum decem mensibus.

IV. *Quo tempore ætatis suæ Paulus conversus
 fuerit?* Quorundam est hæc opinio, quod ad-
 modum fuerit juvenis, circiter annorum vi-
 ginti. Et fundant eam super eo, quod dicitur
*Actor. 7. 58. Testes autem deposuerunt pallia sua
 ad pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Sed
 illis opponi potest, *Actor. 9. 13. Ubi cum Ana-
 nias vocat virum.* Inter mortem autem Ste-
 phani & conversionem Pauli, non tantum

effluxit temporis, ut potuerit ex adolescente fieri jam vir. Itaque vox illa *νεανίς*, non respicit ætatem ejus, sed animum nondum ad illam feritatem lapidibus obruendi hominem, natum. Hæc enim vox apud Græcos id significat, ut Budæus notat. Et certum est, non aded juvenem eum fuisse: quandoquidem & quæ de se ante conversionem refert, non quadrant in juvenilem ætatem: *Actor. 26. 9. 10. statueram adversus nomen illius Jesu Nazareni multa oportere me, contraria facere: quod etiam feci Hierosolymis: & multos sanctorum ego carceribus inclusi à principibus sacerdotum potestate acceptâ, & quum ab eis interimerentur tuli suffragium.* Ferre suffragia talia, & habere potestatem, non cadunt in juvenilem ætatem. Deinde si tantum esset annorum viginti, non excessisset annos 46. ætatis suæ, quarto anno Neronis, quum scriberet Epistolam ad Philemonem, ubi v. 9. vocat se Paulum senem. Atque ita sequeretur etiam Paulum martyrio affectum anno ætatis suæ 55. Quum tamen Chrysostronus putet eum fuisse circiter 68 annos. Itaque videtur omnino fuisse annorum 30. & ultra, quum converteretur.

Hæc de iis que præfationis loco præmittere volumus: accedamus jam ipsa verba versus primi: In quibus Beatus Lucas describit nobis Adventum Sauli ad Pontificem maximum Hierosolymitanum. Quod facit ita; ut

I. Ostendat causam hujus adventus motricem.

II. Proponat ipsum adventum.

DE PRIORE.

Quid autem Saulum permoverit, ut ad illum summum sacerdotem iret, facile cuivis patet ex verbis prælectis: nempe insignis ejus malitia contra Ecclesiam Dei, non ita pridem tunc renatam. Hanc verò malitiam Evangelista, 1. Proponit. 2. Amplificat. 3. ejusdem ostendit objectum.

I. Causa adventus.

I. Primum quod attinet, malitia Sauli proponitur istis verbis; Saul autem adhuc spirans minas & cædem; hoc est, perquam cupiebat nocere fidelibus, idque omni studio conabatur: imò omnem movebat lapidem, ut eos daret internecioni: nec minus ab eo crudelissimo studio abstinere poterat, quam respirare.

I. Malitia Sauli.

Atque hæc est primaria intentio & summum desiderium hostium Ecclesiæ Dei, occidere & è medio tollere Christicolas. Juramento se obstringunt ad extirpandos hæreticos: non secus atque illi quadraginta viri contra Paulum, de quibus Lucas narrat, *Actor. 23. 21. Insidiantur Paulo viri plures quadraginta, qui seipsum devoverunt neque esuros neque bibituros, usquequo interemerint eum.* Nec mirum est eos eo esse animo: quum talia eis adultores suppeditent consilia; ut urant, fecent hæreticos.

Doctrina.

Primaria intentio hostium Ecclesiæ est, fideles è medio tollere.

Lipsius.

Verumenimverò ô bone DEUS, quæ tandem est causa eorum malitiæ?

Ratio 1.
ab Odio
innato.
Sed

1. Procedit ea ex odio quodam innato, quo prosequuntur fideles; quod prædicit ipse Deus *Gen. 3. 15. inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, similiterque inter semen tuum & semen hujus: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.* Quemadmodum aquæ cum igne nulla est convenientia, sed perpetua intercedit pugna; ita semini huic mulieris Christo eiusque sectatoribus, & serpenti eiusque assclis. Hujus rei illustre habemus exemplum in muliere in desertum fugiente ob Draconis persecutionem, *Apo. 12. 1.* & sequentibus. Quum autem odium sit duplex; licitum, quo David sepiusculè in Psalmis profiteretur se odisse impios: & illicitum; videndum nobis est, ex quo genere hoc sit, de quo loquimur. Sanè odium illud ex parte fidelium quo Diabolum & ejus sodales prosequuntur ipsa justitiâ est justius: quia ille est hostis Dei & ejus gloriæ: quo verò Satan flagrat in pios, omnino est injustum. Nam ideò eos mundus odit,

Illegitimo: quod probatur.

2.

1. Quod cum eis non communicent in idolatria & aliis peccatis: quam rationem Petrus inculcat fidelibus, *1. Epist. 4. 3. 4. Sufficit vobis præterito vitæ tempore, quæ libent Gentibus perpetrâsse incedendo in lasciviis, cupiditatibus, violentiis, commensationibus, comotationibus & nefariis simulacrorum cultibus. Quamobrem illi non concur-*

concurrentibus vobis ad eandem luxus profusionem, peregrinari sibi videntur, blasphemantes. Quod verò ita cum illis non communicent, recte ab illis fit: Deus enim omnem idolatriam damnavit; & communicantes aliorum peccatis communibus minatur punire poenis, dicens, *Apoc. 18. 4. Exite ex ea, (scilicet Babylone) popule mi: ne participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.* 2. Quia eos arguunt peccatorum: quod fit, primo reprehendendo eorum malè facta; ita Moses annon ob hanc causam coactus fuit fugere? *Exod. 2. 13, 14.* Deinde pia & exemplari vitâ. 3. Quia eorum opera sunt bonâ. Hanc causam expressè assignat Apostolus, *1. Joh. 3. 12. Hæc est denuntiatio quam accepistis ab initio, ut diligamus alii alios. Non sicut Cain, qui ex illo improbo erat, & mactavit fratrem suum. Cujus autem rei gratiâ occidit eum? quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus justa. Salvatorem nostrum Judæi non ob mala opera, sed bona lapidare volebant: Joh. 10. 31, 32. Sustulerunt ergò rursus lapides Judæi ut eum lapidarent. Respondit eis verò Jesus; multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod illorum operum me lapidatis?*

II. Altera causa eorum malitiæ est zelus ipsorum, sed non secundum scientiam; adeò ut putent se cultum Deo gratum præstare, teste Christo, *Joh. 16. 2. Movebunt vos Synagogis: imò veniet tempus, quum quisquis vos interemerit, pu-*

Ratio n.
a Zelo
malo,
qui quod
sit talis
probatæ

1. Exem-
plo.

tet se cultum præstare Deo. Similes sunt hæc in parte Judæis; de quibus Paulus pronuntiat ita, Rom. 10. 2. *Zelum Dei habent, sed non ex notitia.* Quapropter zelus talis improprie ita dicitur: proprie enim est *κακοζήλια*. Paschalis II. notanda sunt verba, qui Henricum IV. Imperatorem non tantum excommunicavit, sed etiam contra eum Robertum Comitem Flandriæ armavit his verbis: *Mandamus tibi ut confæderatos excommunicatos, qui se falso dicunt clerum (id est, eos, qui contra eum sequebantur partes Imperatoris) persequaris: imò ubique & quomodocunque poteris persequere Henricum caput Hereticorum & ejus fautores. Nam certè non poteris Deo præstare ullum gratius sacrificium. Hoc tibi & tuis militibus sit in remissionem peccatorum.* Verum Ecclesiastici, Episcopi, &c. Germaniæ Concilio convocato ad hanc Epistolam rescripserunt Paschali: ubi inter alia dicunt; *Est & alius gladius spiritus, nempe Verbum Dei. Est & alius gladius spiritualis, per quem mortificamus vitia carnis nostræ. Hos tantum duos gladios Dominus dedit Apostolis. Unde ergò hic tertius gladius venit Papæ, quem dat Roberto contra nos?*

2. Ra-
tionibus,
nempe
I. a Con-
trario
spiritu
spiritus
Christi.
Ubi

Ac ne putetis illos falso & injuriâ accusari hujus *κακοζήλιας*, efficiam, ut id luce meridiana clarius perspicere possitis: licet se palliolo gloriæ Dei obtegant. Nam I. Zelum illum sed non secundum scientiam cognoscere potestis liquidò ex eo ipso, quod hoc faciunt.

Spiri!

Spiritus enim Dei & Christi non spirat minas nec cadem; verum patientiam, verum charitatem, verum tolerantiam. Ideoque cum hic versaretur corporaliter, ex ingratis oppidis, quæ eum hospitio noluerant excipere, vindictam sumere noluit: quin imo discipulos suos illam indiguitates, repressit, dicendo, *Luc. 9. 55. 56 Nescitis qualis spiritus vos sitis: Filius enim hominis non venit ut perderet animas hominum, sed ut servaret.* Estne vero conveniens, ut Christi sectatores hodie contrario sint præditi spiritu? Neque pater ille familias passus est servos suos evellere zizania ex agro. Nam quum ei dicerent, *Vis abeamus & colligamus ea?* Ille respondit; *non: ne colligendo zizania, eradicetis simul cum eis triticum. Sinite utraque simul crescere usque ad messem.*

Nec est quod ex eo, quod *Elias* Propheta simile aliquid fecisse legatur 2. Reg. cap. 1. vers. 10. 12. inferas, eum non habuisse spiritum Christi. Legitur quidem ibi *Elias* fecisse descendere ignem è cælo qui consumpsit præfectum quinquaginta hominibus, una cum illis. Sed respondeo primo non exemplis esse agendum sed præceptis. Deinde, alia fuit œconomia religionis in V. T. nimirum paulò durior & severior: inde enim fuit, quod Deus populos Ethnicos gladio extirpare iussit. In Novo autem T. administratio ejus est longè mitior: ubi in causâ Religionis gladio verbi non

ad objecti
tionem
respon-
detur;

1.

2.

ferri

ferri agendum est. 3. Tandem etiam hoc considerandum est, Eliam fuisse Prophetam, id est, à Deo excitatum ideo ut ageret extraordinaria, non autem ordinaria. Ideoque existimandus est omnino hoc fecisse ex peculiari jussu divino, uti patere potest ex 2. Reg. 1. 15. *Edixerat Angelus Jehovæ Eliae, descende cum isto, ne timere à facie ejus: quapropter surgens descendit cum eo ad regem.* Quemadmodum itaque Angelus ille tertia vice parcere jussit, ita sine omni dubio bis ignem descendere mandavit. II. Con-

II. *Ab innocentiæ eorū, qui persecutio- nes patiuntur.*

Considerate jam mecum eos, quibus illa vis inferitur. Sunt homines tales qui nihil admittunt nec contra legem Dei, nec Politicæ, ut Paulus de se loquitur, *Act. 25. v. 8. & 28. v. 17. Neque in legem Judæorum, neque in Templum, neque in Cæsarem quicquam peccavi.* Quod jure magno accommodamus ad eos, de quibus nobis est sermo. Quis enim magis adhæreret Legi Dei? eam illi summopere commendant, eam ab omnibus legi cupiunt, ei supremam in Ecclesia auctoritatem post Deum tribuunt, omnes partes Religionis Christianæ essentialis ad eam tanquam Lydium lapidem examinant: imò ideo exilia, carceres, & ignes patiuntur, quod eam solam præteritis traditionibus humanis ei contrariis sequantur; quod eam typis vulgent. In Politia verò quos invenies Regibus aut Principibus fideliores? Cuilibet reddunt, quod debent, vectigal, census, honorem, &c. *Quem ex iis*

ex iis vidisti aut Rebellem, aut Regicidam, aut Principicidam?

Quapropter videamus jam ab *unâ parte* magnam malitiam hostium Ecclesiæ Christi. *Vfus In-*
stitutio-
rius 1.
 Nâ sine omni causa, contra omne fas & æquum, contra leges naturæ, leges patriæ communis, contra fidei & promissionum juramenta horrendas spirant cum Saulo cædes contra discipulos Domini. 2. Ab *altera parte*, miseriam eorum summam defleamus. Nam nesciunt quid faciunt, uti crucifixo- res Christi: pro quibus ipse Dominus oravit, dicens, *Luc. 23. 34. Pater remitte hoc ipsis: nesciunt enim quid faciant.*

Quamquam nescio an hæc eorum ignorantia non sit affectata: in hæc nimirum clarissimâ luce Evangelii, quæ totum mundum illustrat radiis suis. *Ut ut sit*, orandus est Pater ille lumen, ut eos lumine suo cœlesti illuminet, uti fecerat Paulo persecutori: quo tandem videant veritatem, & desistant persequi Ecclesiam. Hoc officium jubet Christus præstare nostris inimicis; *Matth. 5. 44. Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui deovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro eis qui vobis iniesti sunt & persequuntur vos.* Hoc mandatum sequutus Stephanus fuit, & nobis suum reliquit exemplum imitandum, *Actor. 7. 6. Positis genibus clamavit voce magnâ: Domine ne statuas eis hoc peccatum.*

3.

II. Secundum quod attinet, *Amplificatio* 2. *Mali-*
nem

tia Sauli nem & Exaggerationem malitiæ Sauli, ea con-
exagge- tinetur in verbis, *Saul spirabat* AD HUC. Ma-
ratio. nifestum est ex cohærentia horum verborum
 cum antecedentibus, Beatum Lucam respicere
 mortem Proto-martyris Stephani, ad quam
 consenserat Saul quoque: imò custodiebat ve-
 stimenta eorum, qui Stephanon lapidibus ob-
 ruebant. Itaque hoc vult dicere Lucas; Non
 satis illi erat, quod iuverit Stephanon tolli è
 medio, non erat hoc contentus; sed porro
 spirabat cædem, quam desiderabat impatienti
 & extremo desiderio.

Doctri-
na.
Malitia
hostium
Ecclesiæ
est inex-
plebilis.

In cuius exemplo tanquam in tabula habe-
 mus depictam vivis coloribus imaginem in-
 compescibilis malitiæ & crudelitatis hostium
 Ecclesiæ Christi. Quum incipiunt sævire,
 nullum finem invenire possunt. Non sunt con-
 tenti cæde unius vel duorum: verum quam-
 plurimos interneconi dare cupiunt. Sitis eo-
 rum inextinguibilis est. Quemadmodum ignis
 non cessat, priusquam comburat omnia, quæ
 coepit: aut aqua rupto semel æggere porro flu-
 it: ita hostes Ecclesiæ Christi. Crudelis Jesa-
 bel non satis habuit interemisse prophetas Dei;
 1. Reg. 19. 1. 2. Quin persequabatur quoque Eli-
 am, qui solus relictus fuerat, *ibid.* v. 2. & Rom.
 11. 3. Assyrii non tantum destruxerant Ecclesi-
 am Dei in Judæa, sed etiam reliquias ejus Ba-
 bylone conabantur extinguere, nimirum Da-
 nielem e jusque socios. Idem clarè patet ex per-
 sequu-

sequutionibus antiquis, in quibus non satis erat nonnullos, colique quam plurimos interfecisse, sed volebant omnes omnino extirpare. Et novis, in quibus nec infantibus parsum est. Et quid mirum: quandoquidem in manes demortuorum sævitum? Cineres *Hussi* exusti in fluvium abjecti. *Wiclefi* ossa post quadraginta annos effossa & combusta. Sed nec hoc adeò mirum, cum eò progressum sit malitiæ, ut non parcat suis, sed in carcere faciat putrescere innocentissimos quosque & catholicissimos: ita loquitur author catholicus in lib. de Statibus & Imperiis mundi, de Inquisitione Hispanica, quam dicit verè esse inventionem tam infausam & crudelem, quam quæ possit inveniri crudelissima, pag. 392. in princip.

Cur autem desiderium illud expleri nequit? *Ratio 1.*

I. Primo quidem, quia malitia illius quo authore illi aguntur quoque est inexplebilis. Dies atque noctes circumit, tanquam *Leo rugiens*, quærens quem devoret, teste *Petro*, 1. Ep. 1. v. 8. Atque hanc ob causam etiam *Draco antiquus & serpens*, qui electos dies & noctes accusat, vocatur, *Apoc. 12* 9, 10. Quod clarum est exemplo *Jobi*, cap. 1. v. 7. Dicente autem *Jehova Satane*, unde venis? respondit *Satan*, à peragrando terram & à perambulando in ea. Hæc est ergo prima ratio, quod similes sint suo patri, *Joh. 8* v. 44. Qui suam malitiam exercet contra fideles ideo primò, quod valde delectatur profusione *Causa*

à Diaboli instinctu: qui fideles insatiabilè odio prosequitur: ob causas tres:

- fanguinis humani. Ille primus seditionem in coelo inter Angelos excitavit, *Apoc. 12. v. 7. Factum est praelium in caelo: Michaël & Angeli ejus praeliati sunt cum Dracone, & draco pugnavit & Angeli ejus.* In Paradiso verò Adamum & Evam occidit: ob quam causam vocatur à Christo homicida ab initio, *Joh. 8. 44.* Deinde, vehementer eum etiam movet invidia. Nam invidet illis hoc, quod ipse perdidit; nempe gratiam Dei & spem ejus obtinendæ. *Nec parùm illi dolet, quod ab eis videat potenter destrui suum regnum, Christi verò amplificari & promoveri.*

Ratio 2. 2. Deinde verò postquam semel gustarunt à Dele- sanguinem innocentem, tam benè illis sapit ille, ut eum in dies magis magisque sitiant. Nam Et atione, le, ut eum in dies magis magisque sitiant. Nam quam in- hac ratione *satisfaciunt* sibi & suo desiderio. de ca- *Possunt* facere pro lubitu suo quæcunque vo- piunt; *lunt*: jam nemo est, qui eos impediatur, remo- nempe: tis illis obstaculis. *Utilitatem* inde etiam non 1. 2. exiguam reportant, occupando & confiscando 3. eorum bona; exemplum est in Christi crucifixi tunica, *Joh. 19. 23. 24.* *Milites ergò quum crucifixissent Jesum, acceperunt ejusdem vestimenta, (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam: erat autem tunica insutulis, à summo contexta tota. Dixerunt ergò inter se: Ne findamus eam, sed sortiamur de illa, cujus futura sit.*

Ufus 1. Hoc verò omnibus inimicis Ecclesiæ Dei eò *Dehort.* inservit, ut sibi caveant, quum adeò periculo- sum

sum sit incipere persequi eam, ut perquam difficile sit desistere. Ne incipiatis ergo: quin considerate talium finem. Nam *peribunt illi omnes: Dominus exsurgat contra eos, & eos compescet: quod fecit hostibus Davidis, Psal. 2. 9.* Quare quicquid tandem illi agant, *frustra sunt.* Quid tot & tam cruentæ laniæ profuerunt in Gallia? ipsi authores Catholici fatentur *septem natos Huguenotas pro uno occiso.* Author libri de *Statibus Mundi & Imperiis.*

Motiva,
1. 2. 3.

Nostri est hic etiam officii, Deum sedulo orare, ne nos permittat infatiabili furori hostium nostrorum; quin potius animos eorum emolliat. Nam ne talia quidem eveniunt absque Divina Providentia & permissione; quod Jobus exemplo suo confirmat; & David, qui *2. Sam. 24. 14.* inquit, *Incidamus quæso in manus Domini, nam magnæ sunt miserationes ejus.* Quod ut eò alacrius ab eo petamus, non tantum consideranda sunt *exempla aliorum fidelium & imitanda;* uti Ecclesiæ Judaicæ, *Psal. 44. 27.* Ubi orat; *surge ad auxilium nobis, & redime nos propter benignitatem tuam.* Item Apostolorum, qui *Actor. 4. 24. 29.* fervide Deum precantur, pro liberatione sui ab angustiis adversariorum, in quibus tunc erant constituti: Verum etiam *necessitas summa:* ut nempe possimus in pace & tranquillitate Deo in hac terra servire: quem finem vult Apostolus etiam esse precum pro omnibus Magistratibus, *1. Tim. 2. 2.* Adhortor

Ufus 2.
Hortat.

Motiva,
1.

2.

igitur ante omnia ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro quibusvis hominibus, pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis; ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & veneratione.

3. Malitia Sauli
objecti.

III. Objectum Sauli malitiæ continetur verbis istis; *Contra discipulos Domini*. Hic fuit primus & antiquissimus titulus eorum qui in Dominum Jesum crediderunt; *Discipuli Domini* vocabantur, *Actor. 9. 36.* Joppæ fuit quædam discipula nomine *Tabitha*; & *14. 22.* Confirmarunt animos discipulorum; & *21. 4.* Permansimus ibidem dies septem, inventis discipulis. Postea verò vocati sunt *Christiani*, idque primum *Antiochiæ*; *Act. 11. 26.* Factum est ut annum totum congregarentur in *Ecclesia*, docerentque turbam multam; & discipuli nominarentur primum *Antiochiæ Christiani*. Per contemptum quidem à nonnullis appellati sunt *Nazaræi*, *Act. 24. 5.* Comperimus virum hunc esse pestem, & qui moveat seditionem omnibus *Judæis* per orbem terrarum; & principem *Hæresis Nazaræorum*. Ab aliis *Galilæi*; ut à *Juliano Apostata*, qui sagitta è cælo percussus in prælio contra *Perfas*, exclamavit, *vicisti tandem Galilæe*, intelligens Dominum *Christum*. Antiquissimum tamen est nomen discipuli Domini.

Doctri-
na.
Militia
mundi

Ex his verò jam luce meridianâ est clarius, quinam homines illi summæ & insatiabili malitiæ hostium *Ecclesiæ Dei* sunt obnoxii & subje-

subjecti; Discipuli Christi. Quotquot fuere *obnoxii*
 tam veteres quam recentes, tam generales quã *sunt di-*
 particulares persequutiones, cæ omnes fuere *scipuli*
 contra discipulos Domini. Paulum non vides *Domini*
 spirasse minas & cædem contra crucifixores
 Domini, neque contra alios nebulones, ho-
 micidas, scortatores, ebriosos &c. sed tantum-
 modo contra discipulos Domini: illi sunt ve-
 rum & unicum malitiæ mundi objectum.
 Sunt autem discipuli Christi, hi; *Qui-*
 ad salutem necessarias discunt non alibi quam *nam*
 in scholâ Christianâ; non in scholis Philoso- *sunt di-*
 phiæ, sed in scholis Ecclesiæ Christianæ, in quib? *scipuli*
 doctrina non hominum, sed ejus ad discendum *Christi*
 proponitur. *Deinde*, qui discunt hoc, quod ille *1.*
 docet. Docet autem Christus *2.*
 1. *Fidem & pœ-*
 nitentiam. Hoc fuit initium prædicationis *Quid*
 Christi, *Christus*
Marc. 1. 14. 15. Venit Jesus in Galilæam, *docet?*
prædicans Evangelium regni Dei, & dicens, exple-
tum est tempus, & appropinquavit regnum Dei:
respicite & credite Evangelio. Credere oportet
te non tantum in Patrem, sed etiam in Filium
& Spiritum sanctum, Joh. 4. 1. Creditis in Deum?
etiam in me credite, Matth. 28. 19. Jubemur ba-
ptizari in Patrem & Filium & Spiritum S.
2. Charitatem & concordiam, Joh. 13. 34. 35. Præ-
ceptum novum do vobis: Ut alii alios diligatis; si-
cut, inquam, dilexi vos, ut vos etiam diligatis alii
alios. Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos
meos, si charitatem habueritis alii in alios. 3. Pa-
3.
tien-

rientiam in cruce & afflictionibus. *Marc. 8. 34.*
Quicumque vult pone me venire, abdicet semetipsum, & tollat crucem suam ac sequatur me. Qui hoc non facit, non est ejus discipulus: ut ipse pronuntiat, Luc. 14. 27. Quisquis non portat crucem suam & sequitur me, non potest meus esse discipulus. 4. *Mansuetudinem & humilitatem, Matt. 11. 28. 29. 30. Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis. Attollite jugum meum in vos, & discite à me quod mitis sum & humilis corde! & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum facile est, & onus meum leve est.*

Ratio 1.

Quanquam autem in antecedentibus doctrinis jam ostensum est, quare hoc fiat, ut discipuli Domini obnoxii sint persecutionibus; tamen ad illas rationes adhuc hæ duæ addi possunt. Nam primò quidem discipuli Domini sunt objectum malitiæ mundi ideò, quod pie vivunt. *2. Tim. 3. 12. Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutiones patientur.* Quemadmodum idem experientia quotidiana discimus & videmus: quò quis est piensior, eò ferè afflictior, eò plures habet adversarios. Expende exemplum Davidis, Christi, & Apostolorum.

Ratio 2.
à Deo beneplacito. Cur autem

2. Deinde verò, quia Deo nostro placet hac via nos ducere in Cœlum; via nempe durâ & asperâ, teste Christo *Matt. 7. 13. 14. Introite per angustam portam: quoniam lata est porta & spatiosus*

spatiosa via, quæ adducit in exitium, multique ^{in hoc} sunt qui introeunt per eam. Quia angusta est porta ^{placet?} & stricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniant eam. Placet autem illi, non quod aliquid sui hic spectet Deus, cum exitio nostro; verum quod hoc è re nostra esse sciat. Nam docere vult nos, non terram hanc pro nobis esse paratam, sed quiddam longè excellentius, nempe Cælum: non hæc inferna, quæ citò transeunt, sed superna illa quæ durant in æternum; non ea quæ videntur, sed quæ non videntur: quo argumento se solantur Apostoli, 2. Cor. 5. 1. Non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ non cernuntur: nam quæ cernuntur temporaria sunt, at quæ non cernuntur, æterna. Scimus enim nos, si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium videlicet non manufactum, æternum in Cœlis.

Adde quod magnum vult in nobis excitare desiderium vitæ æternæ, efficeréque ut nobis melius deinde (ita dicam) sapiat cœlum, quam adeò amaram & acerbam experiamur terram. Dulcia non meruit, qui non gustavit amara. Rectè: majoris ille facit libertatem, qui fuit in servitute aut captivitate, quam qui nunquam: & pacem, qui belli incommodis exercitatus fuit; quam qui semper in tranquillitate vixit. Ita Deus vult nos hic esse in servitute & bello, ut desideremus pacem illam verè auream cœlestem, & libertatem: neque creaturæ irrationalis

les libertatem tam avidè expectarent, nisi nunc subjectæ sint vanitati, ut Apostolus *Rom. 8. 19. & c.*

3. loquitur. Præterea per cruces & afflictiones *simus* similes imagini Filii ejus, *Rom. 8. 29.* Quos enim præscivit, etiam prædestinavit conformando imagini filii sui: ut is sit primogenitus inter multos fratres. Non decet servos meliore esse conditione Domino suo: nec milites vivere in deliciis quorum dux incommodis & variis periculis expositus est. Agnoverat hoc Urias: ideoque licet David ei suaderet domum ire & se recreare, tamen respondit, *2. Sam. 11. 11.* *Arca ipsa, & Israël, ac Jehuda manent in tuguriis, & Joab dominus meus, ac servi domini mei in superficie agrorum castra habent, & ego ingrederer domum meam ad comedendum, & ad bibendum, & ad cubandum cum uxore mea? ut vivis, & ut vivit anima tua, non sum factururus rem hanc.* Prædixerat hoc Christus nobis crucem suam ferens è civitate, *Luc. 23. 31.* *Si in vivente ligno, inquit, hoc faciunt, in arido quid fiet?* Justissimum sanè est, ut si volumus ei esse similes in gloria, prius ei simus similes in ignominia: uti argumentatur Paulus, *2. Tim. 2. v. 11. 12.* *Certus est hic sermo: nam si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus. Si substituerimus, etiam conregnabimus: si abnegamus, & ille abnegabit nos.*

*Vsus I.
Institu-
tor.*

Itaque hîc jam præciditur nobis omnis occasio admirationis. Quis enim jam aut miretur, aut percellatur, quod hodie etiam tot ho-

stes

stes iusurgant contra Ecclesiam Dei, quum
eam videat esse objectum persecutionis;
quumque sciat talem ejus esse in hoc mundo
conditionem?, Ecclesia Dei, id est, discipuli
Domini, sunt ille lapis offensionis: scopus ad
quem collimant & sagittas suas emittunt. Illi
sunt milites in primo ordine constituti, contra
hos directa sunt tormenta, sclopeto, hasta, sa-
gittæ hostium. *Ne miremini ergo fratres, tan-
quam peregrini, exploratione illa per ignem quæ sit
in vobis ad vestri experimentum, ut si peregrinum
aliquid vobis accideret, 1. Pet. 4. 12.*

Quin potius consolamini vos ô afflictæ, dispersæ, & contemptæ animæ christianæ, quod hæc patiamini, non ob aliqua scelera, sed quod estis DISCIPULI Christi, quod sequimini eum & ejus doctrinam. Proinde plane certi estote, vos esse beatos, siquidem ori veritatis creditis, qui ait, *Matt. 5. 10. Beati quos persequuntur homines justitiæ causa: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Scitote vos ideò esse in gratia apud Deum, teste Petro, *1. Pet. 2. 19. 20. Hoc cedit gratiæ, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias injustè afflictus. Quæ enim est gloria si peccantes & colaphis cæsi, subsistatis? sed si benè agentes & tamen afflicti subsistatis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum.*

*Vsus II.
Consola-
tionis.
Cujus
propo-
nuntur*

Quod si verò dixeris magnas esse persecu-
tiones, & eas quidem indies magis magisque
augeri, respondeo tibi, verum id quidem esse,
verum-

argu-
menta;

verumtamen ne despondeas animum, quin
potius animo tuo diligenter ista perpende;

1.

1. Te ex afflictionibus tuis uberrimos reporta-
turum fructus; centuplum tibi reddere pro-
mittit ille cujus causâ pateris, *Matth. 19. 29.*

*Quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores,
aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos,
aut agros, causa nominis mei, centuplicia accipiet,
& vitam æternam hæreditatis jure possidebit.* Imò

2.

si cum eo hic passus fueris, cum eodem in cœ-
lo regnabis. 2. Non fieri ea casu, verum se-
cundum Divinam providentiam & Domini
tui prædictionem, *Joh. 16. 33. In mundo afflictio-
nem habebitis.* Imò verò, quo ulterius proveheris

3.

in hac mundi senectâ, eo majore expectes af-
flictiones. 3. Veniant tibi in mentem promif-
siones Divinæ, quibus certò certius liberatio-
nem totalem promittit, *Esa 41. v. 10. 11. Ne time-
ro quia tecum sum: ne stupeto quia ego sum Deus*

*tuus, fortifico te, etiam auxiliator tibi, etiam susten-
to te, dextrâ justâ meâ. En erubescunt & ignomi-
nia persudentur quicumque exardescunt contra te:*

erunt tanquam nihil, & peribunt adversarii tui.
Joh. 16. 22. Vos nunc quidem tristitia tenemini:

4.

*sed rursum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, &
gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* 4. Tandem

scias, hostes tuos non impunè laturos: Deus
enim de iis vindictam sumet: siquidem ju-
stum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui

affligunt vos, afflictionem, qui pœnam pendent
æterni

æterni exitii, expulsi à facie Domini & gloria virium ejus, 2. *Theff.* 1. 6. 7. 8. 9.

DE POSTERIORE.

Ipsam Sauli adventum ad summum Pontificem Lucas exponit verbis istis: *Venit ad summum Pontificem.* Summus Pontifex tùm fuit Annas, uti patet *Actor.* 4. 6. *Et Annas Pontifex & Cajaphas,* &c. Fuit ille homo clarus inter Judæos: ac in Ecclesia eorum primus: interim verò discipulorum Domini persecutor acris, & hostis juratus. Quod quidem eò magis est mirum, quo ille majore jure esse debuit primus in amplectenda doctrinâ Domini.

Verum observemus, non rarò accidere, ut illi qui sive in hoc mundo sunt clarissimi & potentissimi, sive in Ecclesia occupant locos primos, maximi sint discipulorum Domini persecutores. Non dico semper: nonnunquam enim Mecænates sunt magni, & benigni Patroni: quorum in numero pone Davidem, Samuelem, Ezechiam, Constantinum M. & alios: sed aliquando, & id quidem sæpius. Saul Israëlitarum Rex sacerdotes Dei ipse occidit, qui eos in primis tueri tenebatur, 1. *Sam.* 22. 17. Et quis magis debebat Christi innocentiam asserere & defendere, quam Senatus Ecclesiæ Judaicæ, & Pilatus judex, qui tamen eum condemnaverunt ac nefariè interemerunt? Achab rex similiter & Jeshabel ejus uxor prophetas Dei è medio sustulerunt. 1. *Reg.*

II. Ipse
adv.
tus.

Doctri-
na.
Aliquã-
do ii, qui
primi sũt
in Eccle-
sia vel
Mundo,
maximi
solent esse
fidelium
perse-
cutores.

18. 4. Ita hodie nonnulli qui dicunt se præfide-
 dere in Templo, edictis suis jubent discipulos
 Christi occidere. Omnium taliū David egre-
 giè expressit ingenium, *Psal. 2. 1. 2. 3.* *Quare*
tumultuantur gentes: & nationes meditantur ina-
ne? Sistent se reges terræ, & procures consultant
simul, contra Jehovam & contra Christum ejus?
Dicentes disrumpamus lora istorum, & projiciamus
à nobis densos funes istorum?

Ratio. 1. Hujus autem rei has ego invenio causas;
Prima est, quod eos gloria hujus mundi excæ-
cavit, ut non videant quid agant. Christus
fuit mitis, mansuetus & pauper; tales fuerunt
quoque ejus Apostoli, Act. 3. 6. Petrus autem
dixit claudo illi; argentum & aurum non est mihi.
 Illi sunt divites; quod res ipsa loquitur, & ipsi
 aliquando fatentur. Papa enim quidam visâ
 magna vi pecuniæ pro indulgentiis ad eum al-
 lata, ingenuè ad astantes dixit; *Non possum di-*
cere cum Petro, aurum & argumentum non habeo;
 cui Thomas Aquinas rectè respondit; *sed nec*
potes dicere, surge & ambula. Itaque quum vi-
 dent Christum habitare in pauperibus & abje-
 ctis, tollerare hoc nequeunt. Hinc loquitur
 Apostolus, *1. Cor. 1. 26. Cernitis vocationem ve-*
stram, fratres; vos videlicet non esse multos sapient-
es secundum carnem, non multos potentes, non
multos nobiles. Verum quæ stulta sunt mundo, ele-
git Deus ut pudefaciat sapientes: & quæ sunt infi-
ma mundi, elegit Deus, ut pudefaciat valida. &c.
 Altera

Altera est, plerique magnates hujus mundi putant se esse supra leges, nec esse quenquam qui eos possit arguere: sequuti illud Romani Imperatoris; si libet, licet. Undè fit, ut non rarò vivant, non secundum doctrinam Christi, sed contra eam. Quum verò arguuntur, molestè id ferunt, & excitant persecutiones. Johannis Baptistæ exemplo res est clara, Matt. 24. 3. 4. Herodes prehensum Johannem vinxerat, & conjecerat in carcerem, propter Herodidem uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim ei Johannes, Non licet tibi eam ducere. Verum Paulus diserte etiam Dominos, id est, magistratus dicit habere Dominum in cælis, Eph. 6. 9. Vos domini, eadem facite erga illos, remissis minis: scientes vestrum etiam ipsorum Dominum esse in cælis, nec personæ acceptionem esse apud eum.

Quod cum ita se habeat, discamus nos non alligare veritatem Ecclesiæ ad certos homines, vel etiam eos qui in hoc mundo magni habentur: nec putemus veram Ecclesiam ex eo cognosci, si habeat multos magnates & magnificos monarchas. Putamusne non fuisse Christi sectatores veram Ecclesiam, cum hic ipse esset, quia inter eos non erant Episcopi Hierosolymitani, aut Romani Imperatores? sanè vera Ecclesia potest esse etiamsi neminem magnatum hujus mundi habeat: accidit enim aliquando, ut summi viri sint ejus persecutores. Deinde vetò, quia gloria Ecclesiæ veræ non

*Usus In-
sumio-
nis.*

sistit in rebus externis, sed internis, videlicet, *Verbo Dei & ejus purâ prædicatione, in administratione sacramentorum, secundum Christi institutionem, remotis omnibus humanis contramentem institutoris facientibus additamentis.* Maximè vero, in *satisfactione Christi & pretiosissimo ejus merito.*

V E R S U S S E C U N D U S.

Et petiit ab eo Epistolas perferendas Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ, tum viros, tum mulieres; victos abduceret Hierosolymam.

E X P L I C A T I O.

Postquam Beatus Lucas nobis descripsit Sauli adventum ad Annam, jam aggreditur explicationem eorum, quæ Saulus apud eundem Pontificem egit, nempe petiit ab eo litteras Damascum. Hoc verò ita tractat; ut,

1. Proponat ejus petitionem.
2. Ostendat locum, quo spectarent illæ literæ.
3. Breviter exponat, quid illis contineretur.

D E P R I M O.

*I. Petitionis
Propositi-
tio.*

Intentio Sauli erat Damascum proficisci, ibique fideles persequi. Interim verò, quo facilius & felicius ejus negotium procederet, voluit instrui armis ac potentia ad nocendum. Ac ne quis ei esset impedimento, aut aliquid objiceret, litteras accepit quibus se defenderet & suum

& suum factum, tanquam bonum & legitimum.

Est autem ista consuetudo omnium hostium Ecclesiae Dei: nolunt videri malè facere, sed benè; imò optimè, tum cum Ecclesiam tractant pessimè. Ideoque malitiae suae, odii, & persecutionis semper quærunt aliquos prætextus. Quare, quæso, Saul Davidem persequeretur? quia, (inquiēbat Saul) quærebat eum occidere, *1. Reg. 24. 10. 11.* Quod tamen falsum fuisse, ipse Saul fatebatur, dicens Davidi; *Justior es me: nam tu rependis mihi bonum, quum ego affecerim te malo, 1. Sam. 24. 18.* Mortis Christi, qualis fuit prætextus? quod vetaret Cæsari pendere tributum, quod esset seditiosus, &c. *Luc. 23. 1. 2.* Tum surgens universa multitudo eorum, duxit eum ad Pilatum; cœperunt autem eum accusare, dicendo; *comperimus istum pervertere gentem, & vetare tributa dare Cæsari, dicendo se Christum, id est, Regem esse.* Apostolos persequeretur sub prætextu inobedientiae, *Act. 5. 28.* sed tantum erat prætextus: non enim eos latere potuit, magis obediendum esse Deo, quam hominibus: *ibid. v. 29.* Achab objiciebat Eliæ quod turbaret ejus regnum: cum tamen non Elias hoc faceret, sed ipse Achab, ut ei respondit prophetâ, *1. Reg. 11. 17. 18.* Fuitque quum videret Achab Eliam, ut diceret Achab ei; *tunc ille es perturbator Israelis? Qui dixit non perturbo Israel, sed tu & domus patris tui: dum derelinquitis*

Doctrina.
Persecutorum est nolle videri se malè facere.

præcepta Jehovæ, & sequeris Baalimos. Nemo est etiam qui nesciat, primos Christianos afflictos fuisse sub prætextu horrendorum scelerum: quod in congregationibus suis uterentur promiscuis concubitibus, sanguinem infantum, quos interficerent, biberent, asinum pro Deo adorarent, &c.

Tales verò prætextus & pallia requirit ipsorum sævitia. *Primò* ne id injustè videantur agere, hoc est, ne videantur esse in pios injuriosi: atque ita ut aliis hominibus glaucoma offundant, ne videant eorum crudelitatem. Postquam Luteiæ Parisiorum decem millia hominum trucidarunt, in jus eos vocarunt, in primis Amiralium Colignium: & tandem decretum tulerunt justè eos occisos fuisse. Vide Historiam Thuani. Talibus ergò palliis opus habet eorum crudelitas. Nam quis eam non detestetur? quis orco non devoveat? cum sit plusquam barbara: adeo ut nonnunquam abhorerent ab ea carnifices immisericordes. Quis non abominetur Romanorum ignes quos struebant noctu per plateas ex strue corporum Christianorum: aut bestias, aut leones, urfos, canes, murænas quibus illos dilacerandos objiciebant? quis non exhorrescat vel ad auditum sepulturæ hominum vivorum? quod avorum nostrorum tempore unicum erat in faminas statutum supplicium in Belgio; quodque in Nobilissimas etiam exercebatur matronas? vel ad

ad mortis genera quæ quis crudelissima excogitare potest. Vide quomodo de laniena Parisiensi loquatur Serres in sua Historiâ; *Ubi (inquit) non est parsam infinita doctorum multitudi- ni, nec venerabilibus senibus, nec nobilissimis fæmi- nis, nec honestissimis matronis, nec fæminis gravidis, nec pudicis virginibus, nec scholaribus junioribus, nec infantibus pendentibus adhuc ab uberibus suarum matrum. pag. 705.*

Alterâ ratio est, ut exosam reddant doctri- nam Euangelii; ideoque varias comminiscun- tur & evomunt in eos calumnias. Verum anti- quum est hoc Diaboli artificium, quo jam in Paradiso usus fuit in seducenda Eva. Namque ut ei odiosum redderet mandatum Dei, eam- que ab eo amplectendo & servando averteret, calumniabatur Dei interdictum hoc argumen- to, quod non moriturus esset homo etiamsi contra Dei interdictum de fructu arboris sci- entia boni & mali edisset. Imò verò quod Deo similis esset futurus, si edisset, sciens boni & mali. *Similiter & illi traducunt fideles apud rudem plebiculam variis modis. Sanè quod horrendum dictu est, ipse audivi cum pluribus aliis amicis meis, quendam publicè in loco cul- tui sacro destinato hæc verba plusquam octies reperiisse, Calvinum nec Lutherum credidisse in Deum, nec eum invocasse: nec credidisse Filium Dei Jesum Christum aut Spiritum S. esse Deum: quæ crimina & mendacia impu- den-*

Ratio 2.

Depulsio
quarun-
dam ca-
lumnia-
rum.I.
Juliodu-
ni in
Templo
Cathed-
rali; An.

Domini.
1639. dentissimè & falsissimè omnibus, quos ita appellabat, Lutheranis & Calvinistis multoties adscribebat. Eodem pertinet, quod vulgo persuaserunt jam ferè, eos docere Deum esse autorem peccati: qui tamen fatentur, & pleno ore clamant coram toto mundo, à Deo non nisi bona proficisci autore; mala ne posse quidem, sed à solo Diabolo. Et licet circa peccata hominum Divinam occupari providentiam cum scriptura statuatur: tamen inde istud dogma abominandum nulla ratione sequitur. Nam in omni peccato hæc duo semper sunt consideranda: 1. Actio per se, quatenus est actio. Hæc à Deo est, Deumque autorem habet. Est enim omnis actio, quatenus est actio, bona. Nam in Deo vivimus, movemur, & sumus, dicente Spiritu S. per Paulum, *Actor. 17. v. 25. 29.*

2. Vitium actioni inhærens. Atque in hoc propriè consistit peccati ratio. Hoc non est à Deo, sed à solo homine. Unde sequitur, eos qui hæc ita docent, non facere Deum autorem peccati, sed hominem solum. Eiusdem est spiritus, quum dicunt, eos non credere, ut in sacramento Cœnæ sumant corpus Christi. Imo verò tantum abest ut hoc non credamus, ut potius ex animo profiteamur nos manducare corpus Christi & bibere ejus sanguinem verè & realiter: licet ibi non credamus ullam Transsubstantionem quam primitiva Christi Ecclesia non credidit, nec de ea scivit: sed postea eam effin-

3. In S.
Cœna
sumitur
verum
Christi
corpus
verè.

effinxerunt Hæretici Eutychiani. Nec ridiculofam confubstantiationem. *Neque hoc præmittendum est, quod illis magnum odium conciliat apud imperitum vulgus, quasi malè sentiant & loquantur de Beatissima virgine Maria.* Imò verò honestissimè & summo cum ejus honore: dicunt enim eam esse benedictam, virginem semper fuisse ante partum, in partu, & post partum mansisse. Licet eam non adorent: hoc enim eam magis dehonestaret quam honore aliquo afficeret; quia omnis religiosa adoratio est præcipua pars cultus soli Deo debiti. Deinde adorationem Beatissimæ matris Domini nostri, scimus antiquos hæreticos Collyridianos dictos effinxisse: quam ob causam eos Epiphanius refutavit, *Hæresi 79.* Ubi omnes Virginis Mariæ adoratores condemnat, & tandem concludit; *si Deus non vult à nobis adorari Angelos, quanto minus eam, quæ est genita ex Anna?*

4. *Gloriosissima virgo Maria honoranda est, sed non adoranda.*

Postrema ratio hæc est; ut suos homines in devotione suâ & religione detineant. Etenim cui arrideret talis inhumanitas & crudelitas? quis tales non fugiat? Oportet colorari & fucari ne videatur esse crudelitas, sed res justa & decens. Oportet lupum pelle ovinâ indui, si non vult oves perterritas dilabi: & venenum saccharo condiri, ne ore expuatur, antequam in stomacho vires exerat suas: nisi hamum vermiculo contegas, non multos capies pisces.

Ufus I. Institut. Atque ô utinam hæc accuratius perpendant omnes Ecclesiæ Dei adversarii! utinam sibi persuaderi patiantur, quicquid effingant, qualefcunque tandem rationes suæ crudelitatis, nihil esse aliud, quam meros prætextus & litteras Sauli. Nulla est rebellio, nulla seditio, nulla inobedientia, quas causas illi prætere con- fuerunt. Fucus est, fucus, quo offundunt oculos hominum.

Ufus II. Inform. Quocirca nostri, qui hæc audimus, est officii, dare operam, ne vel minima re illis occasionem præbeamus: quum eam sibi ipsimet per se adeò facile invenire sciant. Geramus nos ergò ut servi Dei & discipuli Christi.

Ufus III. Consolationis. Fideles persecutiones patientes sunt innocentes; probatur. Interim vero in omni persecutione hæc sit nostra consolatio, quod talia patiamur injustè & innocenter: ita ut quicquid dicant, non nisi prætextus sit. Quod luce meridiana clarius patet ex eo; 1. Quod eam persequantur doctrinam, quæ non docet rebellionem aut inobedientiam erga Magistratum; quin potius plane contrarium. Pauli vocem sequuntur,

1. *R. m. 13. v. 1. Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto: non enim est potestas nisi à Deo; & quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ.*

Itaq; quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit: qui autem obsistunt, ipsi sibi condemnationem auferent. Huc faciunt etiam præcepta Petri,

2. *1. Eph. 2. v. 13. 14. 15. 17.* 2. Quod nunquam eos possunt convincere eorum quorum causa in eos insur-

insurgunt: nisi falsos introducant testes, ut Judai contra Stephanum, *Actor. 8. v. 11.* & contra Nabotum. *3. Reg. 21. v. 13.* 3. Quod si qui è medio variis modis tolluntur, morte sua contrarium omnino testantur & obsignant. Nullus martyrum confessus est id, cujus causa ab hostibus falso infimulabatur, & dein excruciabatur; adeo quidem ut omnes maluerint mortem sustinere ignominiosissimam. Nec id tamen eorum contumacia fecit: quandoquidem semper protestabantur se amplexuros libenter si eis meliora monstrarentur ex Dei verbo. Quo facit etiam illud, eos ultro non autem coactos mortem oppetiisse: ut patet ex eo, *primùm* quod eis parvum essent adversarii, si sententiam suam revocassent. *Deinde*, ex eorum gaudio, in ipsa morte etiam se prodente. *Tandem*, quod maluerint mori, quam errores amplecti.

DE SECUNDO.

Quò dirigi debebant illæ litteræ? respondet Lucas, *Damascum ad synagogas.* Civitas hæc satis longè aberat ab Hierosolymis: nihilominus tamen Saulo non fuit molestum eo iter suscipere: modò inveniret ibi aliquem, in quem exercent suam rabiem & malitiam.

Ubi iterum nobis de pingitur natura hostium Ecclesiæ Dei. Nam nulli parcunt labori, nec sumptibus, modo possint ecclesiæ nocere. Saulum hîc vides & petere à summo sacerdote litteras

II. *Quæ spectabant ille litteræ?*

Doctrina. Persequutores nulli parvum

*labori, modo non cere possunt Ec-
clesia.*

terat humiliter, & itineri satis longo se committere. Judaii impii totam noctem duxerunt insomnem salvatorem nostrum exagitando. In caput Beati Pauli plures quam quadraginta viri conjuraverant, ita ut votum facerent se nihil ciborum sumpturos, priusquam eum è medio tollerent, *Actor. 23. 21.*

Ratio.

Hujus autem rei nulla alia est causa, quam quod eos inter se pati nolint: quia eis dissimiles sint vita, moribus, & doctrina. Hinc quidam tales non verentur edere voces, se malle terras suas desertas jacere, quam in illis pati hæreticos: cum tamen hoc Christus facere jubeat, *Matth. 13. 29. 30. Servi autem dixerunt ei: Vis igitur abeamus & colligamus ea? At ille dixit, non: ne colligendo zizania eradicetis simul cum eis triticum. Sinite utraque simul crescere usque ad messem.*

*Questio.
Respons.*

Quod si vero hinc aliquis quærat; An hæretici sint tolerandi vel tollendi? responsum habeat, duplices esse hæreticos: alios qui vere sunt tales & pro talibus etiam habentur: qui nempe errant in fundamento salutis & circa illud. Alios, qui habentur pro talibus, sed revera non sunt. Tales Pontificiis sunt Evangelici, qui ob errores in fide, qui in Ecclesia Romana foveantur, & ob multos abusus ab ea discesserunt, idque jure maximo: quia Religionem Christianam ad primam temporum Apostolicorum puritatem revocarunt. Jam vero de prioribus

ribus hoc loco non agimus, sed de posterioribus, quos Pontificii injuste hæreticos vocant: dicimusque eos tolerari debere, idque ideo;

1. *Quia* non sunt hæretici: uti patet clare; *primo*, quia non errant in fundamento Religionis Christianæ. *Deinde*, quia nunquam sunt hæreticos convicti. *Tandem* quia in illa (si diis placeat) sua hæresi non sunt contumaces. Semper enim protestantur se esse paratos amplecti, si quid eis melius ex scriptura ostensum fuerit.

2. *Quia* sunt veri Christiani: inter eos est vera Ecclesia, fundata non in traditionibus humanis, sed in doctrina Christi, Prophetarum, & Apostolorum.

Quodsi autem illi tanto fervore feruntur ut noceant Ecclesiæ Christi, quanto pudore nos afficiunt, qui adeo frigidi sumus ad eam promovendam. Quotusquisque est, qui labores Ecclesiæ causa potius non fugiat, quam ultro suscipiat? aut qui sumptus liberaliter impendat & non potius parcat? Plerique putant negotium Ecclesiæ ad eos non pertinere. Excitami igitur vos, quos Deus eo affecit honore, ut vocemini Patroni Ecclesiæ ejus; succurrite ei ruina minitanti; succurrite naviculæ Christi inter fluctus persecutionum in compluribus mundi partibus naviganti. *Nam* hoc vobis Deus mandavit. *Certo* persuasi, quod stante Ecclesia, bene stabunt res vestræ: mundus enim iste visibilis à Deo Ecclesiæ suæ causa conservatur.

Uf. Hor-
tatorius
ad zelus
in pro-
moven-
da Ec-
clesia.

Ratio.
1.
2.

3. tur. *Veniat* vobis in mentem, quod quæcun-
que dona & bona habetis, sive sint animi aut
fortunaë, vel corporis, ea vobis Deus dederit
4. potissimum in usum suæ Ecclesiæ; *Vobis* etiam
promisit renumerationem amplissimam: hic
benedictionem spiritualem & corporalem; ;
post mortem vero vitam æternam.

*Media
zelum o-
stendēdi:*

1.

2.

3.

4.

At, *dices*, quomodo fervorem meum exer-
cebo in promovenda Ecclesiæ? *Respondeo*, alen-
do ministerium, & ejus alumnos; sustentando
scholas jam fundatas: instituendo novas, in-
primis Theologicas, in eas largiter sumptus
impendendo. Nec est quod verearis ne nimi-
um des. Nam Deo nunquam satis dare potes:
quia omnia quæ habes, ejus sunt. Huc etiam
pertinet constructio Bibliothecarum. Uti enim
scholas requirit Ministerium, ita scholæ esse
non possunt absque bibliothecis.

DE TERTIO.

3. *Quid
ille litte-
ra conti-
nebant?*

Quid vero in illis litteris Sauli nostri conti-
nebatur? *termissio*, ut quoscunque Damasci
Doctrinæ Christi sectatores invenisset, omnes
comprehenderet, ligaret, & Hierosolymam
abduceret, v. 2. Locus per se satis clarus est.
Per viam intelligit doctrinam Christi: unde
est ut nonnulli interpretes venterint sectam.

Hic vero nobis ex hoc versu tres doctrinæ
sunt observandæ;

Doctr. I. PRIMA est; Quod doctrina Christianorum
Doctr. sit via. Sic Paulus ejus se esse dicit sectatorem;

Act. 9.

Actor. 24. 40. 41. Hoc vero tibi fateor, me secundum viam illam, quam hæresim dicunt, ita colere patrium Deum, ut qui credam omnibus quæ in lege & in prophetis scripta sunt.

na Christianioris est via.

Hoc autem non fit absque ratione, quod Spiritus S. doctrinam saluatoris nostri viæ confert: sed ideo; primo; quod illa doceat, quomodo in hoc mundo nobis sit ambulandum, id est, vivendum, quo Deo placeamus. Hinc sæpe in S. Scriptura ponitur ambulare pro vivere, *Gen. 5. 24. Quumque indesinenter ambulavisset Enoch secundum Deum, non extitit amplius, quia assumpsit eum Deus, Eph. 5. 15. Videte igitur quomodo accurrate ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes. Docet autem ambulandum esse in charitate, Eph. 5. 2. Ambulate in charitate, sicut & Christus dilexit nos, &c. In luce, Rom 13. 13. Ut interdium compositè ambulemus. Ambulandum prudenter, Eph. 5. 15.*

Ratio 1.

Multo vero majore jure doctrina Christi via vocatur ideo, quod nos doceat viam, qua gradiendum sit in vitam æternam. Hæc via est cognitio Dei & Christi, teste ipso Domino, *Joh. 17. 3. Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Hoc nulla docet alia doctrina, nulla Religio præter solam Christianam. Hæc via est ipse Christus, *Joh. 14. 6. Ego sum via illa, & illa veritas, & vita illa: nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Ratio. 2.

Quod

Ufus I.
 Hortat.
 ad gra-
 titudinē.

Quod ipsum diligentius consideratum ad summam nos excitat gratitudinem. Ejus enim est beneficium, quod nos in hanc vitam direxerit & adduxerit, ut ei placere possimus, & tandem finem fidei nostræ consequamur, loquente Petro 1. Pet. 1. 9. *Reportantes mercedem fidei vestræ, salutem animarum.* Illi enim omnes, qui non sunt in hac via doctrinæ Christi, errant per devia, campos, sylvas: nec unquam ad felicem perveniunt scopum; sed soli ii, quos Deus in ea constituit.

Signa
 gratitudinis.
 1.

Illi vero se gratos Deo præbent; qui hac via procedunt. 1. Ingrati omnino sunt illi qui reducti in viam rectam, sponte eam abjiciant & deserant. Sed quinam sunt illi, qui in hac via gradiuntur? Non tantum illi, qui hoc faciunt, quod hæc doctrina docet, sed etiam qui in dies magis magisque proficiunt & progrediuntur ulterius; qui in pietate, virtutibusque Christianis non proficiunt, hac via non pergunt. In via enim Domini non progredi, est regredi. 2. Deinde illi sunt etiam grati, quibus adeo placet hæc via, ut se ab ea divertī non patiantur nec persecutionum æstu, nec voluptatum ventis; nec suasionibus, nec tempestatibus minarum. Hoc Dominus requirit à suæ doctrinæ sectatoribus, Matth. 10. 38. *Qui non accipit crucem suam, ac pone me sequitur, non est me dignus.*

Ufus II.
 Instiuit:

Quandoquidem autem doctrina Christiana est via; hinc certo sequitur Christianos viam hujus

hujus doctrinæ sequentes esse viatores & peregrinatores. Nam 1. Quemadmodum omnis viator tendit ad quendam certum locum, in quo requiescat ab itinere suo & cesseret: Ita nos & omnes alii fideles quamdiu in ista terra versamur, non habemus manentem civitatem; sicut loquitur Apostolus, Hebr. 13. 14. *Non habemus hic stabilem civitatem, sed futuram illam inquirimus; nempe illam, in qua reposita est quies populo Dei, Hebr. 4. v. 9. 10. Reliquus est aliquis sabbatismus populo Dei. Nam qui ingressus est in requiem ipsius, requievit & ipse ab operibus suis, quemadmodum Deus à suis.* Talis viator fuit David, ut ipse loquitur, Ps. 39. v. 13. *Peregrinus sum coram te, inquilinus ut omnes majores mei.* Talis fuit Abraham, Hebr. 11. v. 10. *Expectabat enim civitatem illam habentem fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus.* Tales vocat Petrus omnes fideles, 1. Pet. 2. v. 10. 11. 2. Viator quamdiu est in itinere, variis est expositus periculis & incommoditatibus: ventis, pluvix, aestui, frigori, insidiis latronum, spoliationi, &c. Ita nos expositi sumus variis periculis animæ & corporis, provenientiibus à Diabolo, mundo, ejus voluptatibus & concupiscentiis. Obnoxii etiam sumus variis miseriis, paupertati, contemptui, morbis, casibus & persecutionibus. 3. Viator non aggravat se rebus non aut minus necessariis, ne ipsi sint aut molestiæ aut impedimento. Ita debet Christianos non aggravari rebus hujus mundi,

*Christi-
anorum
collatio
cum via-
toribus.*

1.

2.

3.

mundi, sed uti eo tanquam eo non utantur, non affici nimia cura & solitudine rerum hujus sæculi: uti dehortatur salvator, Luc. 21. 34. 35. *Cavete autem vobis, ne quando graventur corda vestra crapula & ebrietate, & solitudinibus hujus vite, & repente vobis superveniat dies ille. Quin potius diligenter eundum, ut quam citissime nos isto itinere fidelibus perquam molesto expediamur, & in coelestem patriam nostram requiem perveniamus.*

Doctrina 2. Persecutorum Ecclesiam major est malitia, quam aliorum hostium.

Altera doctrina docet nos vel obiter, notare iterum malitiam hostium Ecclesie Dei, quae longe major est, quam crudelissimorum aliorum hostium. A deo immanis est Saul, ut non parcat ipsis mulieribus, sexui debili, quibus tamen vel ferocissimi hostes consueverunt parcere. De tali immanitate conqueritur David, Psal. 22. 13. 14. *Circumdant me juvenci multi; robusti juvenci Baschanis cingunt me. Dilatant contra me os suum tanquam leo rapiens & rugiens.*

Ratio

Objectio. Atqui idem faciunt hostes alii in expugnatione urbium; uti accidit Hierosolymis à Tito expugnatis; item Magdeburgi nuper; *Respondeo:*

1.

1. Perraro hoc accidere hic, ibi vero semper, in omnibus persecutionibus. Nam illae non tantum contra sexum masculinum, sed etiam foemininum instituuntur.

2.

2. Ibi est aliqua ratio, ob quam bellum movetur: hic vero nulla est causa plane; innocen-

tes sunt hæ animæ; sunt oves Christi. Doctrina hæ ergo est certa: testimonio sunt, tam novæ quam veteres persequutiones, in quibus non est parum foeminis, nec infantibus, uti jam produximus testimonium ex Serre, adversus secundi Doctrinæ primæ rationem primâ.

TERTIA est; in qua nobis depingitur conditio fidelium in hoc mundo. Nam necesse est, ut sint subjecti suis adversariis, à quibus & comprehenduntur & vinciuntur, & pro lubitu eorum tractantur: eis etiam obediunt: quamquam ipsi soli sunt imperatores & hæredes mundi totius. Hanc conditionem Dominus prædixerat Petro, dicens, *Joh 21. 18. Amen, amen dico tibi, quum esses junior cingebaste & ambulabas quo volebas: quum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & transferet quo noles.* De ea loquitur Paulus, *Rom 8. 36. Iui causa occidimur totum diem: reputati sumus velut oves destinatæ mactationi.* Experti sunt eam perquam multi fideles, in primis vero Apostoli & martyres, *Actor. 5. 40. Quum advocassent (seniores Judæorum) Apostolos, cæsis mandarunt ne loquerentur in nomine Jesu.*

At ô fideles, quæ est causa hujus vestræ conditionis, dicite nobis? Patimur propter nomen Dei, teste Paulo, *Rom. 8. 36.* Propter justitiam Dei, *Matth. 5. 10.* Patimur propter bonam conscientiam, *1. Pet. 2. 19.* Imo propterea quod sequamur viam Domini, nec volumus abire post
idola,

Doctrina
3.
Fideles
quandis
hic sunt,
subjecti
sunt suis
adversariis.

Ratio,
1.
2.
3.
4.

idola, loquente Petro, *1. Eph. 4. v. 3. 4.*

Uſus I.
Inſtitu-
torius.

Non eſt itaque planè, non eſt cur nobis in hoc mundo promittamus multam pacem & tranquillitatem, aut delicias, &c. quin potius ligationes, incarcerationes, &c. Communis enim eſt hæc ſors fidelium omnium temporum. Chriſtus non habet diſcipulum ullum, cui prius non dixerit, neceſſe eſſe ut ſumat ſuam crucem & eum ſequatur, *Luc. 9. 23.* Eadem conditio exercuit fratres noſtros ante nos in mundo, quo argumento Petrus confirmat nos in fide, *1. Epift. 5. 9.* *Obſiſtite diabolo firmi per fidem, ut qui noveritis eaſdem affliktiones, à veſtra quæ in mundo eſt fraternitate peragi.* Habemus in hac ſocietate prophetas & ſummos viros in exemplum patientiæ, quos imitari præcipit Jacobus, *cap. 5. 10.* *Sumite, fratres mei, pro exemplari vexationis ac patientis animi Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.* Et annon clara ſunt Pauli verba, *Act. 14. 22.* *Oportet nos per multas affliktiones ingredi in regnum cælorum?* Hujus ſi meminiffent nonnulli, non ſtatuiffent aurea illa ſacula Eccleſiæ ante mundi finem; generalis enim eſt vox Chriſti: *In mundo perſequutionem habebitis, Joh. 16. v. ult.* Nam quæ illi pro ſtabilienda ſua opinione adferebant teſtimonia, in quibus felicitas Eccleſiæ ſumma promittitur à Deo, manifeſtè hac in parte Judai-
zabant. Ea enim non corporaliter & carnaliter intelligi debent, ſed aut ſpiritualiter, aut æ-
ternè.

Quan-

Quamquam vero ô animæ fideles hæc tristis conditio vos manet, quamdiu manet terra, nihilominus tamen non est cur vos tristitia maceratis: sed potius gaudete, gaudete cum Apostolis, quod sitis digni facti pati pro nomine Christi; hoc enim de illis legimus *Act. 5. 41.*

Summum enim Dei donum est, pati pro Christo, *Phil. 1. 29.* *Gratis datum est vobis in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati.* Facilius vero hanc conditionem tolerabitis, si hæc mecum consideraveritis; 1. Deum

omnium horum habere exactam notitiam: novit enim ille probè viam justorum, *Psal. 1. 6.*

Atque hoc argumento David suam afflictionem leniebat, dicens, *Psal. 38. 10.* *Domine, coram te est totum desiderium meum: nec abscondita abs te suspiria mea.*

2. Deum nos magnificere & in ipsis afflictionibus amare. Non enim est uti homines, qui plerumq; afflictos contemnunt, eis insultant & addunt afflictionem. Conditio misera, hominem reddit aliis exosum & contemptum, sed nõ apud Deum, qui eo magis nos amat, quo plura & graviora ejus nominis causa patimur. Hoc egregiè Petrus illustrat, exemplo servi patientis afflictiones, *1. Epist. 2. v. 19 20.* *Hoc cedit gratiæ apud Deum si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias injuste afflictus. Quæ enim est gloria si peccantes & colaphis cæsi subsistatis? sed si bene ageres, & tamen afflictus subsistatis, hoc ced. & vobis gratiæ apud Deum.*

*Ufus II.
Consolatorius.*

Quibus reus fideles se consolari debeant in cruce;
1. Dei providentia & crucis notitia.

2. Dei erga nos amore.

3. Præsentia
Spiritus
Sancti.

3. Præsentiam Spiritus Sancti, qui nobis à Patre & Christo datus est in consolatorem, *Job. 14. v. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Hic Spiritus Sanctus hoc in nobis tempore afflictionis efficit, ut quemadmodum abundat in nobis afflictio & tristitia, ita etiam in nobis abundat ejus consolatio, attestant Paulo, *2. Cor. 1. v. 4. Benedictus esto Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra: ut sicut exundant perpeffiones Christi in nobis, ita per Christum exundet etiam consolatio nostra.* Hic Consolator optimus facit, ut fideles in ipsa morte læto sint animo, & nonnunquam canant Domino; exemplo sunt tres juvenes in fornace, Hieronymus Pragensis, & alii innumeri.

4. Felici
exitu.

4. Felicem exitum omnium afflictionum. *Multæ quidem sunt tribulationes justis, sed Dominus ex omnibus liberat eum, Psal 34. v. 20.* Ille quidem vulnerat, sed sanat etiam, *1. Sam. 2. v. 6. 7.* Probè id considerasse videtur Patientissimus Job, *c. 5. v. 17. 18. 19. 20. Ecce beatus est mortalis, quem arguit Deus: quapropter castigationem omnipotentis ne spernas. Nam idem dolore afficit, & obligat: vulnerat, & manus ejus medicantur. In sex angustiis eripiet te: etiam in septem non attingeret te malum. In fame redimeret te à morte, & in bello à manibus armatis.*

5. Crucis
brevita.
te.

5. Brevitatem afflictionum, in comparatione gloriæ æternæ; Illico enim præteriens levitas afflictionis nostræ, excellenter excellentis gloriæ pondus.

pondus æternum conficit nobis, 2. Cor. 4. v. 17. Hoc Dominus ostendere voluit, dicens; Paulisper & non videbitis me, Ioh 16. v. 16.

6. Hanc miseram, uti videtur, conditionem multo esse potiore, quam illorum qui nos vincunt & cum Saulo ligant. Nam ideo hic ploramus, ut gaudeamus in æternum, promittente hoc nobis Christo. *Joh 16. v. 20. 22. Amen, amen dico vobis, flebitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit; vos vero tristes eritis, sed tristitia vestra evadet in gaudium. Vos igitur nunc quidem tristitia tenemini: sed rursus videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Hic ligamur, ut æternam acquiramus libertatem. Aliis sumus subjecti, ut tandem impiis dominemur. Incarceramur, ut in cælo regnemus. Morimur, ut vivamus in æternum. Excedimus è mundo, ut abeamus in cælum: homines relinquimus, ut cum Deo simus: abimus è medio hostium in choros Angelorum & Sanctorum hominum; è tempore in æternitatem; ex miseria in gaudium; ex morte in vitam.

6. Considerateone ipsius crucis & afflictionis.

VERSUS TERTIUS.

Quum autem iter faceret, factum est ut appropinquaret Damasco; & repente circumfudit eum ut fulgur è cælo.

EXPLICATIO.

Hactenus egimus de Sauli petitione, qua à summo Pontifice petiit sibi dari veniam proficiscendi Damascum, & quidem instructo armis ad nocendum fidelibus. Postquam autem ab illo Pontifice omnia ex voto suo obtinuit, jam iter illud aggreditur. Quod etiam jam Beatus Lucas nobis describit in ulterioribus versibus: & in istis quidem verbis narrat,

De admirando quodam casu, qui Saulo accidit in illo itinere Damasceno. Ubi hæc tria proponit;

*Textus
divisio.*

1. Tempus casus illius. 2. Locum. 3. Illud ipsum miraculum.

DE PRIMO.

*1. Tem-
pus.*

Tempus illius miraculosi casus notatur istis verbis; *Eo autem proficiscente.* Scopus hujus profectiois non alius fuit, quam ligare discipulos Domini, & palam coram toto mundo ostendere, se esse hostem Christi acerrimum, & ejus nominis expugnatorem indefessum. Miraculi autem finis fuit etiam nolentem & maxime repugnantem ad Christum adducere, eumque urgere ut se Christo subdat, eumque pro Domino suo agnoscat: quod etiam revera factum fuit, & quidem tum quum Saul maxime Christo adversaretur, atque hanc conversionem plane nollet: jam enim ad exsequendum suum propositum Damascum proficisceretur.

Doctrin.

Observemus itaque hic morem Dei, qui non raro

raro quosdam homines ad se trahit nolentes, & ei resistentes: quemadmodum eum hic videmus fecisse Saulo. Ita etiam latronem in cruce agonizantem, & Deo sua malitia & peccatis, ob quæ in crucem actus erat, repugnantem ad se pertraxit, eique Paradisum promisit, *Luc. 23. 43. Amen dico tibi, hodie eris mecum in paradiso.* Hanc vero doctrinam, quo melius concipiamus & retineamus, duo hic observabimus;

Deus a-
liquando
homines
ad se
trahit
nolentes.

Primum est, quomodo homines Deo & Christo resistunt? *Alterum*, quomodo Deus homines sibi resistentes ad se trahit?

Dne
questio-
nes.

Prius quod attinet, sciendum est, homines Deo resistere & adversari modis variis;

Prima

1. *Primo* quidem persequendo Ecclesiam, ejus, cujus rei evidens hic exemplum in Saulo. Julianus Apostata, eo ipso quod diceret, *Vicisti tandem Galilæe*, palam ostendit, se Christo resistisse: qui tamen Ecclesiam ejus persequabatur. 2. *Deinde* vero, contrariando Legi Dei. Hoc autem fit *primo* per transgressionem ejus præceptorum. Hujus accusat Judæos Stephanus, *Actor. 7. 51.* dicens; *Vos semper Spiritui illi Sancto obnitimini*: versu autem 53. subdit, *eos non observasse legem Dei.* Postea per contemptum Evangelii. Qui enim gratiam, quam Evangelium promittit, rejicit, quid aliud agit, quam Deo promittenti & offerenti repugnat? 3. *Tandem*, abnegando Deum, quod Athei faciunt, qui

dicunt, *Non est Deus*, *Psal. 14. 1. 4.* Ultimo addi potest, negando Dei providentiam, & dicendo, *Psal. 94. 7. Non respicit Jah, neque animadvertit Deus Jahakobi.*

*Alterna
questio.*

Posterius quod attinet, diverso modo Deus etiam nos ad se trahit. *Primos* interdum miraculose, uti hoc loco Saulum: interdum per internam Spiritus S. gratiam & operationem, qua persecutores suæ Ecclesiæ immutat. *Ludovicus XII.* Rex Galliarum hanc operationem Dei expertus fuit. Nam quum in animo haberet persequi *Waldenses*, adeo immutatus fuit, ut ad eos qui illum ad persequendum eos incitabant, diceret; Certe illi, meliores sunt Christiani, quam ego & mei subditi. *Morn. in Myst. Iniquit.* paulo ante conclusionem libri, ex *Carolo Molinæo.* Reliquos diversis modis; nonnunquam Verbo suo. sic crucifixores Christi, qui cum audirent Petrum loquentem, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apostolos; *Quid faciemus viri fratres? Actor. 2. 37.* Nonnunquam variis suis plagis & pœnis; uti, permissione mali, quod cum minitaretur Achabo, dicens; *Ecce inducturus sum in te malum & tollam posteros tuos, &c. 1. Reg. 21. 21.* Ille quum audisset verba ista laceratis vestibus suis, & imposito cilicio carni sue jejunavit, cubavit etiam cum cilicio: *ibid. v. 27.* Aliquando fame, ut filium prodigum, *Luc. 15. 17, 18.* Quum autem ad se rediisset, dixit; *Quos mercenarii Patris mei redundant panibus, ego vero famo*

fame pereo! Surgens proficiscar ad patrem meum, & dicam ei, Pater; peccavi in cælum & in tuo conspectu. Aliquando morbis, ut foeminam Chanaanæam, Matt. 15. 22. Ecce, mulier Chananæa à finibus illis egressa clamitavit, dicens ei, Miserere mei Domine, fili David, filia mea male à demonio vexatur. Et cæcum illum à nativitate sua; Joh. 9. 1. 36. 37. Interdum etiam aliis difficultatibus & adversitatibus: cum homines nihil eum morantur, nec ad eum eunt per fidem, preces: imo ei repugnant, ipse eos etiam nolentes ad se trahit: & id quidem ob has rationes.

Primo, ut magnitudinem suæ misericordiæ & bonitatis ostendat, qui etiam tum homines ad se trahit & convertit, cum illi de eo minimè sunt solliciti: de eo loquitur Paulus, 1. Tim. 1. 13. Ego, inquit, prius eram blasphemus & persecutor, & contumeliosus: sed mei misertus est [Dominus]. Imo ut clarum faciat neminem esse qui ejus potentiæ in homine convertendo resistere possit. Nam ejus voluntati, quis obstitit? Rom. 9. v. 19.

Deinde, ut homini summam ejus miseriam ob oculos ponat. Etenim adeo miser est, ut etiam tum quum maxime Deo repugnat & adversatur, necesse habeat se subdere Deo & eum sequi, desistereque à sua prava voluntate. Videatur hoc agnovisse Ephraim, qui dicit Jer. 31. 18. Castigasti me ut castigarer, tanquam vitulus non assuetus: converte me ut convertar, quia tu es Jehova Deus meus.

Ufus I.

Institut.

Deus nō

est causa

hominis

exitii.

Quum ergo Deus hoc modo procedat cum hominibus etiam peccatoribus maximis, inde manifestum est, eum non esse causam perditionis humanæ & eorum interitus: siquidem etiam eos qui sponte ruunt in exitium revocat. Protestatur ipse *Ezech. 33. 11. Ne vivam ego dictum Domini Jehovah, si delector morte improbi: sed delector, quum revertitur improbus à via sua ut vivat: revertimini, revertimini à viis vestris pessimis: cur enim moreremini domus Israelis? Sic Paulus 1. Tim. 2. 4. testatur Deum quosvis homines velle servari, & ad agnitionem veritatis venire. Christus vero ait Joh. 3. 16. ita Deum dilexisse mundum, ut filium suum illum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Ad
quasdam
Objectiones
responde-
tur bre-
viter;

1.

2.

3.

4.

5.

Quod si vero quæras & dicas; cur ergo quidam pereunt porro? respondeo, ob malitiam suam, quam contraxere ex vitio corruptæ suæ naturæ, ob peccatum Adæ. Sed anne possent ipsimet à se remove hanc malitiam & corruptionem, ut se ad Deum converterent? minime; non magis quam homo mortuus seipsum à mortuis excitare. At unde hoc est, quod quidam convertuntur? ex summa Dei misericordia. Cur eadem in reliquos non utitur Deus? quia non vult: ipse enim dicit, *Rom 9. 15. 16. Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor, quem commiseratus fuero.* Et addit Paulus ibidem; *Nempe igitur electio non est ejus qui velit. neque ejus qui currat, sed ejus qui miseretur, nempe Dei.* At cur non

non vult eadem misericordia in omnes uti ?
 quia ei ita placuit ; *Eph. 1.5. Qui prædestinavit nos*
quos adoptaret in filios per Jesum Christum in sese,
pro benevolo affectu voluntatis suæ. Ergone Deus
 delectatur morte impii ? Minimè: nam etiamsi
 quosdam elegit & salutariter ad se convertit,
 quosdam vero non, tamen ista præteritio eor-
 um non est causa illorum exitii, sed tantum-
 modo quod non eligantur cum cæteris ad glo-
 riam vitæ æternæ. Verum justè eos præterit?
 Quidni? Nam qui semel mortem in Adamo
 promeriti sunt, eos justè punit, relinquendo il-
 los suæ ipsorum corruptioni. Ergo est apud
 Deum respectus personarum, qui hos elegit,
 illos non item. Non est: quia in neutris quic-
 quam erat, cujus gratia illos eligeret: quod ta-
 men requiritur, ubi personarum respectus esse
 debet: sed est sola in electis conversis miseri-
 cordia, in non conversis Dei justitia.

Ex hoc Divino cum hominibus processu cla-
 ret etiam, quod maximi quique peccatores sal-
 vari possunt: nemo debet desperare. Ecce *Sau-*
lus Ecclesiæ persecutor acerrimus convertitur;
 & fit planè ex lupo agnus. Considera ô homo
 quem conscientia peccatorum accusat, alios
 quoque, *Petrum* qui Christum ter abnegaverat,
Salomonem idololatram, *Manassen* persecuto-
 rem, *Mariam Magdalenam* adeo peccatis polluta-
 tam, ut per excellentiam vocetur peccatrix: qui
 tamen omnes gratiam sunt consequuti. Ean-
 dem

Ufus II.
Consolati-
onis.
Ne ma-
ximis
quidem
peccato-
ribus
clausa
est porta
Regni
caeli.

Qui vult salutem aeternam consequi, observet has regulas.

Regul. 1.

Regul. 2.

Signa eorum, qui peccant ultrò; 1.

2.

Salubre cōsiliū cuiusdam Rabbini antiqui, de agenda pœnitentiā.

3.

dem omnes obtinebunt peccatores, modo has regulas observent; 1. *Caveant* persequi Ecclesiam Dei, Horrendum est peccatum: nam quidquid ei injuriarum fit, Domino Christo id fit; ejus enim fideles sunt membra. Si dixeris, Paulum persecutorem gratiam consecutum fuisse, respondeo, cum hoc fecisse ex ignorantia, non ex malitia, uti ipse fatetur, 1. *Tim. 1. 13. Mei* misericors est; nam ignorans id faciebam. 2. Ne committant peccata ultrò & ex destinata voluntate: pro talium peccatis nulla restat expiatio, *Hebr. 10. 26. 27. Si ultrò peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis, non adhuc pro peccatis reliqua est hostia; sed horrenda quaedam expectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios.* Peccata committuntur aut ultrò, aut ex infirmitate, aut ex malitia. Ultrò illi peccant, 1. Qui peccant in magnitudinem misericordiae Dei. At nescis ô homo daturusne tibi eam sit Deus. Paulus sane talibus eam expresse negat loco ex *Epist. ad Hebr.* nunc jam citato. 2. Qui peccant in spem agenda pœnitentiæ ante mortem. Nescis tamen an eam tibi sit daturus Dominus. Est enim illa donum Dei. Ideoque *Ieremias* petit; *Converte me Domine, & convertar ad te.* Rabbi quidam antiquus interrogatus à suo discipulo; quando agenda sit pœnitentiā, respondit ei, uno die ante mortem: id est, semper; quia nescimus qui sit ultimus dies vitæ nostræ. 3. Qui minorum peccatorum nullam faciunt conscientiam;

scientiam: cum tamen minimum quodq; peccatum tam grave est apud Deum, quam quod maximum: quia tam illud quam hoc Deus vetuit: & quia vetuit Deus, ideo est peccatum.

Ex infirmitate peccant ii, qui peccant præter *Signa eorum, qui ex infirmitate peccant.* mentem & intentionem suam; præter consensum & approbationem. Tales defectus multi sunt in fidelibus, uti, ad bonum indispositio, dubitatio, oblivio & obmissio boni, certæ quædam cogitationes. Regula 3.

Agant *Regula 3.* seriam pœnitentiam suorum peccatorum, *3.*

Marc. 1. 15. 4. Regula; Sitiant Christum, ejus *Regul. 4.* meritum & justitiam: ejus præsentiam & liberationem ab omnibus malis, adeoque totam salutem. Sitientibus Christus promittit potum,

Joh 7. 37. Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Requiem æternam: Matt. 11. 28. Venite omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis.

DE SECUNDO.

Locus illius miraculosæ apparitionis fuit in *II. Locus.* via, & quidem non procul jam à Damasco urbe nobilissima & metropoli Syriæ: hoc designat Lucas verbis istis; *factum est, ut appropinquaret Damasco.* Furor ejus jam ante cognitus erat fidelibus Damasci degentibus, uti apparet ex sermone Ananiæ ad Dominum, *v. 13. hujus cap. Domine, audivi ex multis de viro isto, quot malis affecerit sanctos tuos Hierosolymis.* Imo non latebat eos, illum acquisivisse litteras Damascum, id est,

est, potestatem à principibus sacerdotum, vincendi omnes qui invocant nomen tuum. v. 14. Quocirca certissimum est eos omnes magno metu fuisse percussos: nec aliud quidquam expectasse, quam mortem aut vincionem; quippe cum jam lupum ante fores ovilis viderent, adeo ut vix appareret modus ex manibus Sauli elabendi. Verumtamen liberati sunt isto metu & periculo, atque in vita benignitate Divina conservati.

Doctrina.

Deus nonnunquam suos permittit ad extrema venire.

Hinc itaque videmus, Deum aliquando permittere suos ad extrema venire, nec eos periculis liberare priusquam summa urgeat necessitas. Probè hoc noverat Sancta illa matrona Anna, quæ in oratione sua ad Deum, inquit, 1. Sam. 2. 6. 7. *Jehova morte afficit, & in vitam restituit: demittit in sepulcrum, & educit. Jehova depauperat, & ditat: deprimit, etiam extollit.* Tres illi juvenes non prius fuerunt liberati tyrannide Nebucadnezari, quam fuissent injecti fornaci ardenti, Dan 3. 25. 26. Populus Israeliticus priusquam eductus fuit ex Ægypto & in libertatem restitutus, gravissima quæque patiebatur, & summopere servitute Ægyptiaca opprimebatur. Paulus etiam demum postquam naufragium fecit, periculo marino liberatus est, Actor. 27. v. ult.

Ratio

1.

Porro, quæ sint causæ hujus divini cum fidelibus processus, ex Scriptura facile liquere potest. Nam primo hac ratione Deus docere vult etiam

etiam electos natura sua non esse aliis hominibus meliores: verum quod illi ipsi quoque peccatis suis mereantur pœnas gravissimas. Hoc agnoverunt piissimi quique viri Dei, David, *Psal. 38. v. 25. Jehova ne in fervente ira tua arguas me; aut in excandescencia tua castiges me. Nam iniquitates meæ transcendunt caput meum; ut onus grave, graviores sunt, quam ferre queam. Esa 53 6. Omnes nos, ut ovis erramus, quisque in viam suam nos convertimus, & Jehova facit, ut incurrat in eum pœna omnium nostrum. Paulus Eph 2.3. Inter quos & nos omnes conservati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramusq; natura filii iræ, ut etiam reliqui.*

Deinde, hoc modo nos docere vult, se habere Ratio 2. omnium temporum articulos probè notos, & terminos computatos; exindeque optimam suorum filiorum habere rationem, quos liberare opportunè norit. Scit ille, quamdiu Judæi in Ægypto sint hæsuri, aut Joseph in carcere. *Act. 1.7. Non est vestrum nosse tempora sive oportunitates, quas Pater in sua ipsius auctoritate statuit. Gal. 4. v. 4. Postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factum legi subjectum. 2. Pet. 2.9. Novit Dominus pios è tentatione eripere.*

Tandem ut eo gratius nobis sit beneficium liberationis. Nullum est dubium quin hoc gratissimum acciderit fidelibus Damascenis, utpote qui se jam ferè intra fauces lupi viderant. Nam Ratio. 3.

quæ

quæ difficulter acquiruntur, ea ardentius amantur; & pluris æstimantur quam quæ nullo negotio obveniunt. Idipsum *Paulus* quum confideraret, summam Deo agit gratias, *2. Cor. 1. 3. 8. 9.* *Benedictus esto Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater ille, inquam, miserationum, & Deus omnis consolationis, &c.* Non enim volumus vos ignorare fratres, de afflictione nostra quæ nobis evenit in *Asia*, nos supra modum gravatos fuisse supra vires, adeo ut prorsus animi penderemus, etiam quod ad vitam. Sed ipsi apud nos decretum mortis habuimus; ne consideremus in nobis ipsis, sed in Deo suscitante mortuos; quique ex tanta morte nos eripuit & eripit: in quo speramus nos adhuc etiam ereptum iri. Simile Divinum beneficium gratus recollit, *2. Tim. 4. 16. 17. 18.*

Usus In-
stitut. &
Hortato-
rius ad
fiduciam
in Deo
ponendâ.

Quapropter instruamus animos nostros, & discamus quid nobis faciendum sit, etiam in maximis angoribus & periculis constitutis: videlicet non est desperandum de Dei auxilio; sed in eo solo fiducia firma collocanda; etiam si jam *Saul* cum venia ligandi nos appropinquet: etiam si duplicentur lapides oppressionum: etiam si cum *Jona* jam in ventre ceti simus; etiam si cum *Davide* ambulemus in valle mortis; aut cum *Paulo* naufragium patiamur; cum *Daniele* leonibus objiciamur, &c. Hunc usum docet *Paulus* loco ex *2. Cor. 1.* jam citato. Ejusmodi confidentiæ exempla habemus in *Davide*, *Psal. 23.* Etiam quum ambularem per vallem lethalis umbræ

non timerem mortem quia tu mecum es: virga tua & pedum tuum ipsa consolantur me, Psal. 46. 2. 3. 4. Deus nobis est receptus & robor, auxilium in angustiis præsentissimum. Idcirco non timeremus si commutaret terra locum: aut si dimoverentur montes depulsi in ima maria: fremerent, lutosæ fierent aquæ cuiusq; illorum; commoverentur montes elatione ejus maxime. In abacuko c. 3. 17. 18. Quamvis ficus non effloresceret, & nullus esset proventus in vitibus, mentiretur opus olive, & agrorū nullus ederet cibum; absunderet hostis ab ovili gregem, & nullum esset armentum in bubilibus: ego tamen in Jehova exultabo, gestiam in Deo salutis meæ.

Quo autem quilibet certus esse possit, num tali sancta fiducia in Deum sit præditus, ejus quædam signa & notæ heïc nobis sunt proponendæ. Nam primo qui Deo vere confidunt, non murmurant in rebus adversis, sed eas patienti ferunt animo. Dicunt cum Jobo, c. 13. 15. Si enecaret me non sperarem? cum Eli, 1. Sam 3. 18. Jehova est quod bonum videtur in oculis suis faciat. Cum Davide claudunt os suum & obmutescunt, quia id Dominus fecit, Psal. 39. 10. Recte autem id faciunt: nam levius fit patientia, Quicquid corrigere est nefas. Alterum signum est, quod in adversitatibus nimio non afficiuntur mœrore & tristitia. Sic David Psal 27. 1. 2. 3. Jehova lux mea & salus mea est, à quo timerem? Jehovah robor vite meæ est, à quo expavescerem? &c. Hoc vero non ita intelligendum est, quasi nullo sensu malo-

Signum
corum
qui con-
fidunt
Deo.

Signum
1.

Signum
2.

malorum tangantur: non enim sunt Stoici; id est, lapides aut stipites. Afficiuntur sane; & cum Paulo clamant, Rom. 7. 24 *Ærumnosus ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Verum quod

Quinam in adversis nimia tristitia non afficiuntur?

1.

2.

3.

Signum

3.

in istis omnibus medium tenere sciant. Non afficiuntur autem nimia tristitia illi; 1. Qui in cruce & afflictionibus agnoscunt manum Dei. Job. 1. 21. *Jehova dedit, & Jehova recepit: sit nomen Jehovæ benedictum.* Et 2. v. 10. *scilicet bonum acceperimus à Deo, & malum non acciperemus?* 2. Qui certo persuasi sunt Deum id facere in eorum salutem, Ps. 119. 71. *Bono mihi fuit me affligi, ut discerem statuta tua.* 3. Qui consolationem admittunt. Tertium signum est, quod nihil Deo præscribant, nullum terminum suæ calamitatis, nullum tempus liberationis aut modum; sed in omnibus totos se Deo tradunt, & ejus voluntati acquiescunt, Ps. 38. 9. 10. *Debilitatus & attritus sum pervalde, rugio præ fremitu animi mei. Domine coram te est totum desiderium meum; & suspirium meum abs te non est absconditum,* Ps. 42. 12. *Quid dejicis te anima mea, & quid perstrepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meæ, & Deum meum.* Ut autem ita totaliter in Deo acquiescât, sciunt sibi hoc esse mandatum, Psal. 37. 5. *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo, nam ipse efficiet.* Ad hæc norunt Deum res nostras melius gubernare, quam nos vel optare ausimur. Hæc sunt signa veræ in Deum fiduciæ; ad quâ nobis

Basil. M.

Media

nobis ista subservient; *Sedula consideratio & ob oculos mentis nostræ positio frequens ab soluti Divini in nos dominii: adeo ut ei liceat nobiscum facere quicquid libeat, Rom. 9. 29. Nam ejus voluntati quis obstitit? Imo vero o homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo? num dicet figmentum fictori, cur me tale fecisti? an non habet potestatem fingulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus?*

2. Sæpius contemplari exempla Sanctorum debemus, quorum proprium est Deo confidere, Ps. 22. 5. 6. *Tibi confisi sunt majores nostri, confisi sunt, & liberasti eos. Ad te clamaverunt, & erepti sunt: tibi confisi sunt, nec puduit eos.* 3. Memoria repetendæ sunt Dei promissiones. Ps. 50. 15. *Invoca me tempore angustiarum: eripiam te, ut honore afficias me. Psal. 91. 15. Simulac invocaverit me, exaudiam eum: ipsi adero in angustia: eripiam eum, & honore afficiam eum.*

DE TERTIO.

Illud ipsum miraculosum accidens est in verbis; & repente circumfudit eum ut fulgur lux è cælo. Nulla hæc fuit ectasis: sed vera lux, quæ eum illustravit ex improvise & repente: ea fine, ut manifestum fieret, Deum posse & scire perterrefacere, & id quidem ex insperato suos hostes, quod sane illis inservire debet ad metum. Illud fulgur erat manifestissimum signum majestatis Jesu Christi: Eo autem plane opus fuit: ut modo illo insueto Saulus in ordinem & ad

E
obediens

III.
Ipsam
miraculum.
Confer.
Act. 22.
v. 6. &
26. v. 13.

perve-
niendi
ad veram
fiduciam

1.

2.

3.

obedientiam Domini redigi posset; nam eo indigebat ejus superbia, crudelitas, & cæcus zelus: qui aliter vix compesci potuit.

Doctrina.
Christus
habet sa-
tis me-
diorum
ad com-
poscen-
dum suos
hostes.

Apparet itaque hinc liquidò, Dominum Christum satis habere mediorum ad compescendum furiosissimos etiam hostes suos & suæ Ecclesiæ. Quid Saulo furiosius? & tamen Dominus invenit medium, quo adhibito ex lupo reddidit sibi agnum mansuetum. Nam totus mundus ex ejus pendet imperio: cœlestes exercitus & terrestres creaturæ promptissimæ sunt ad eius mandata excipienda & exsequenda. Quod olim Pompejus vanè de se jactabat, de Christo Domino est verissimum: *si modo pede percutiat terram, exercitum se habiturū copiosissimum.* Etenim ille verè is est, qui si dicit creaturæ, abi, & abit: veni, & venit: Fac hoc, & facit hoc; si solummodo jubet mari silere, statim fit tranquillitas magna. Instructus est ergo potentia maxima. Habet fulgor cœlestis pro Saulo. Habet mare rubrum pro crudeli & obdurato Pharaone. Lapides & grandinem contra Reges Amorrhæos, *Jos. 10. 11.* Clavum Jaëlis tentorii contra Sisaram, *Jud. 4. 21.* Gladium Aodi contra Eglonem Regem Moabitaram, *Jud. 3. 22.* Ignem contra milites Ochoriæ Regis, *2. Reg. 1. 10. 12.* Angelos contra exercitum Assyriorum, *Esai. 37. 36.* Vermes contra superbum Herodem, *Act. 12. 23.*

Object. 1.

Object. 1. Non semper Christus utitur illis mediis

mediis ad contundendum hostes suos; quin sapius permittit, ut Ecclesiam premant graviter & affligant. *Respondeo*: Nec ego dico, eum hoc semper facere: nam non facit: Johannem Baptistam Herodi permisit gladio interficere; Apostolos variis generibus mortis aliis è medio tollere, &c. sed dico eum habere talia media.

Objectio 2. Quid vero hoc ad me? Quæ mihi inde utilitas redit, quod Christus illa habeat media? *Obj. 2.*

Respondeo, sane magna. Christus enim instructus est illa potentia & potestate utendi mediis illis nobis etiam in bonum: ideoq; dicitur esse nobis datus, & nobis natus, *Isa. 9. 6.* *Resp.* *Quid nobis prodest Christi potentia?*

Item Rex noster, vel Ecclesiæ suæ, ut eam defendant. Ut autem melius intelligas illos fructus, vide hoc ad te redit: Nam *primo*, certus es inde

quod te liberaturus est ex omni afflictione, si ei placuerit. At placebit, quia promisit. Quod si autem non libuerit ei dare hanc temporalem liberationem, etiam hoc optime fiet. Deus enim liberis suis malefacere nullo modo potest. Ita ut etiam si non semper liberet, tamen bene nobis est tum etiam. Nam aut dat quod petimus, aut si non dat ea, dat multo meliora & salutis nostræ utiliora. Impossibile est, ut fidelibus male fiat. *Deinde*, inde certi sumus, quod Christus multo potentior est Saulo cum omnibus sacerdotibus Hierosolymitanis: unde oritur magna consolatio atq; gaudium; & quidem eò majus, quo nobilior est res servire regi maximo & potentissimo.

Ratio.

1.

Non mirabimur autem Dominū Jesum tantis multis esse instructum mediis ad debellandū suos hostes, si hæc tria consideraverimus fundamenta. *Primum* est, quod ille sit Deus omnipotens: quidquid vult, facit. Est creator mundi & gubernator, *Joh. 1. 3. Omnia per eum facta sunt & absq; eo factum est nihil, quod factum sit.* Tantum ergo poterit sibi creare mediōrū semper, quantum opus erit. Hoc argumento ipse Deus populum suum consolatur, *Esa. 42. 26. Sic ait creator tuus o Jacob, & formator tuus o Israel: ne timeto.*

Ratio 2.

Alterum est, quia homines debiles sunt & perquam miseri. Si respexeris ad originem eorum & materiam, lutum sunt, pulvis & cinis: si ad eorum cogitationes, stulticia est. Si ad eorum proposita, vanitas est: ita ut ea Deus ab alto rideat, & subsannet ea, *Psal. 2. 4.* Si consideraveris eorum vitam, videbis esse ventū, pulverem, aquam cito præterfluentem, fumum & vaporem, *Psal. 90. 3.* Hanc miseram hominis conditionem Moyses considerans, ait, *Domine, redigis mortalem eo usque, ut sit contritus, dicens; revertimini filii hominum, & v. 4. Inundatione abripis eos, somnus sunt: ipso mane sunt ut fenum transiens, &c.* Uno verbo, sunt homines, & quidem mortales, *Pf. 9. 21.* Num ergo non haberet Dominus satis mediōrum contra tales?

Ratio 3.

Tertium est, quod ille sit Dominus omnium rerum: omnibus imperat, etiam eas quæ non sunt, vocat. *Rom. 4. 17. Abraham credidit Deo, vivificante*

ficante mortuos, & vocante quæ non sunt, tanquam sint. Psal. 33. 7. Ipso dicente est quicquid est: ipso præcipiente existit. Agnovere hoc ipsi Gentiles: Hinc Poëta ait, ipsi ærem etiam militare, &c.

Horum autem consideratio inservire debet dehortationi omnibus hostibus Dei & admonitioni, ut desistant bellum gerere contra eum. Frustra enim estis: nihil proficietis unquã: quid etenim aliud agitis, quam bellum infertis igni, qui vos comburet: aquæ, quæ vos submerget: cœlis, qui vos ad inferos usque deturbabunt: Leoni, qui vos devorabit. Cogitate quid agatis; mare inexhaustum vultis exsiccare; & Solem cœlo detrahere; fluviorum cursum invertere. Expavescite ergo & cavete in posterum resistere Domino Christo: ne in vobis etiam minæ illæ compleantur, quæ habentur, *Esa 44 6. Et omnes se consociantes ei erubescunt, & salvi ipsi magis quam homines ulli: congregent se omnes, consistant, pavebunt, erubescunt una.*

Object. Quis est adeo impius aut insanus, qui Christo velit bellum inferre? qui velit gigantum more montem ex lapidibus componere, ut Deum solio suo deturbet? *Respond.* 1. *Quidam* sunt qui hoc directe faciunt, ut *Julianus Apostata*, qui id manifeste testatus est moriturus, agnoscens se fuisse à Domino Christo victum. 2. *Alii* hoc faciunt indirecte, nimirum, qui oppugnant Ecclesiam Dei & ejus veritatem. Hoc autem faciunt ii, qui oppugnant eos, qui non

Vsus I.
Dehortatorius.

Object.

Resp. 1.

2.

nisi doctrinam è fontibus S. Scripturæ haustam sequuntur.

Usus II.
Institu-
torius.
& Hor-
tator. ad
timorem
Dei.

Hæc doctrina de magna potentia Christi & Dei nobis etiam perquam utilis est: nam inde monemur timere Deum & salvatorem nostrum; id est, revereri ejus majestatem & potentiam, ita ut maximè metuemus eum offendere: siquidem ipse potest hominem etiam pessimum facillime compescere. Exemplum hujus timoris est in Jacobo, qui ait, *Gen. 31. 53. Nisi Deus Patris mei, Deus Abrahami, & pavor Isaaci adfuisset mihi, nunc vacuum fuisses dimissurus me.*

Timor
Dei du-
plex. Bo-
nus &
malus.

Quia vero duplex est timor Dei, *bonus & malus*; operæ pretium est quasdam notas boni timoris proponere & discrimen à malo: *deinde* verò proferre in medium nonnullas rationes, quæ nos ad timorem Dei bonum excitare debent. *Malus* quidem ille timor est, quo quis absterretur à Deo, ita ut eum fugiat & aversetur: ita timuerunt nostri primi parentes, postquam peccarunt in paradiso. Nam, *Gen. 3. v. 8. audiverunt vocem Jehovæ Dei itantem per hortum ipsum ad ventum illius diei: quare abscondit se Adam & uxor ejus à facie Jehovæ Dei, inter arbores illius horti.* Malus timor est etiam eorum, qui tantum iram Dei extimescunt; quocirca eum Jacobus non dubitat dæmonibus adscribere, *Jac. 2. 19.*

Signa
timoris
mali; 1.

2.

Signa ti-
moris
boni.
1.

Tu credis Deum unum esse: benefacis: dæmonia quoque istud credunt, & horrescunt. Boni autem timoris hæc sunt præcipua indicia; 1. seria fuga eorum

eorum, quæ in oculis Dei sunt mala, *Prov. 14. 16.*
Sapiens timet ac recedit à malo; stolidus vero infert
se, adeo præsidens est. 2. *Abstinentia à peccatis et-*
iam occultis, & iis quæ aliquis posset commit-
tere, ita ut de illis homines non rescirent. Præ-
ceptum Dei est, Levit. 19. 14. Ne maledicito surdo,
& ante cecum ne ponito offendiculum: sed timebis
à Deo tuo, ego sum Jehova. Exemplum in Josepho,
 qui ad impuram suam Dominam ait, *Gen. 39. 9.*
quomodo facerem malum hoc maximum, & pecca-
rem in Deum? 3. *Non tantum abstinere à pecca-*
tis omnibus debemus, sed etiam odio ea profe-
qui, idque ideo quia Deus ea odit. 4. *Neque*
homines neque ullam creaturam ita metuere
debemus, ut nos ab officiis nostris possint ab-
sterrere, Matt. 10. 28. Ne timete vobis ab iis qui tru-
cidant corpus, animam autem non possunt trucidare:
sed timete potius eum, qui potest & animam & cor-
pus perdere in gehenna.

Ad talem vero timorem nos excitare de-
 bet; 1. *Consideratio Majestatis Dei, ejus naturæ*
& justitiæ, quæ tam stricta est, ut nequeat non
punire timoris sui expertes. Testatur hoc Pro-
pheta; Abac. 1. 13. Purior es oculis quam ut aspicias
malum, & intueri molestiam non potes. Hujus di-
 vine justitiæ speculum habemus in Christo,
 quem in mortem dedit pro nobis, potius quam
 de jure suo remitteret, *Rom. 8. 32. Deus proprio fi-*
lio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.

2. *Magna ejus potentia, quæ apparet in crea-*
tione

Quæ nos
ad timo-
rem Deû
excitare
debent.

1.

tione rerum omnium, sustentatione earum & gubernatione. Vides aquas capitibus nostris perpetuo imminere, nec tamen vim inferre nobis: mare non transilire limites, sibi positos, &c. Hanc ejus potentiam consideravit *Esaias*

3. *cap. 25. v. 1. 2. &c. 3. Comminationes ipsius, Rom. 2. vers. 9. Afflictio erit, & angustia in omnem animam hominis perpetrantis malum, tum Judæi imprimis, tum etiam Græci. Non enim est acceptio personarum apud Deum.* 4. *Exempla judiciorum Dei & pœnarum adversus peccata; quo pertinet primus mundus, Sodoma, Pharaos, &c. Psal. 119. 118. 120. Conculcas omnes errantes à statutis tuis; quin falsus est dolus eorum. Tanquam scoriæ facis ut cessent omnes improbi terræ; idcirco diligo testimonia tua. Horret pavore tui caro mea, adeo à judiciis tuis timeo.* 5. *Promissiones illis factæ qui Deum timent, 1. sal. 25. 12. 13. 14. Qualis futurus est vir ille, qui reveretur Jehovah, docentem ipsum quam viam eligat? Anima ejus in bono pernoctabit, & semen ejus hæditario jure possidebit terram. Arcanum Jehovah adest reverentibus ipsum, & fœdus ejus ut experimento testetur eis. Item, Psal. 34. 9.*

V E R S U S I V.

Textus. Et quum recidisset in terram, audivit vocem dicentem sibi: Saul, Saul, quid me persequeris?

E X P L I C A T I O.

Explicatio.

HActenus vidimus lucem illam cœlestem admirabilem, quæ circumdederat Saulum

lum. Pergit Lucas & narrat quid illam lucem
immediatè consecutum fuerit? duo: 1. Quod *Divisio.*
Saul cecidisset in terram. 2. Quod audivisset
Dominum Christum se alloquentem.

DE PRIORE.

Sauli casus in terram his continetur verbis; *I.*
Sauli ca-
sus in
terram.
Et quum cecidisset in terram. Nullum est du-
bium, quin Saul iter illud faceret magno ani-
mo instructus, vectus magnificè sive equo sive
rheda: verum lux illa ita eum circumfulserat,
ut extemplo conciderit in terram; ita ut qui
priùs erat elatus & superbus, jam nunc se hu-
miliet coram Christo, qui cum illo de ejus in-
stitutis exostulaturus erat.

Unde duæ doctrinæ apprimè utiles emanant.

DOCTRINA. I.

Primùm videmus, neminem hominum posse *Doctri-*
consistere coram Deo & ejus judicio: quin *na I.*
imo omnis homo statim concidit & in nihil *Nullus*
redigitur, quam primum Deus eum ad exa- *homo po-*
men vocat, & eum punire vult. Christus tan- *test con-*
tummodo Saulum alloquitur, ille verò statim *sistere*
in terram decidit: Ita quum Christus hodie *coram*
aliquem affatur, dicendo: Saul, cur me perse- *Deo irat-*
queris, cur hoc vel illud facis, vel cur hoc non *to.*
facis? obmutescat necesse est, & prostratus in
conscientia sua jaceat. Sic Rex ille, qui fece-
rat nuptias filio suo, ingressus ut spectaret convi-
vas, vidit illic quendam non indutum veste nuptia-
li: Tunc dicit ei, Amice, quomodo huc introiisti non

habens vestem nuptialem? At illi os occlusum est, Matth. 22. 11, 12. Experius hoc fuerat Job; Ideoque Cap. 9. v. 2, 3. ait: Qui justus esset mortali comparatus cum Deo forti? Si volet litigare cum eo, non poterit respondere ei ad unum ex mille. Et 23. v. 15. Propterea à facie ejus perturbor, dum considero, expavesco ab eo. Et 25. v. 4, 5, 6. Quid ergo justus esset mortalis comparatus cum Deo forti? aut quid purus esset natus ex muliere? En usq; ad Lunam, non tamen splenderet; etiam sidera pura non essent in oculis ejus. Quanto minus mortalis, vermis? & filius hominis, lumbricus?

Quomodo
Deus ho-
mines
incurpat?
Respons.

1.

Verum, quomodo Deus increpat hominem, ut nequeat consistere? Respondeo; aliquando per ministerium suum: ita increpatus fuit & punitus Ananias cum Zaphira sua uxore à Petro, Act. 5. v. 3, 5. Audiens Ananias hos sermones, cecidit, & exanimatus est. & v. 9, 10. Quid est cur convenerit inter vos ut tentaretis Spiritum Domini? ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium adsunt, & efferent te. Illico verò accidit

2.

ad pedes ejus, & exanimata est. Nonnunquam miraculosè, uti factum cū Chore, Datà & Abiron, quos terra vivos deglutivit, aut absorpsit, Num. 16. 31. &c. Aliquando in agone: ubi nonnulli in desperationem incidunt & moriuntur. Interdum gravitatem & turbationem conscientiae immittit, qua ita premuntur, ut quo se vertant nesciant. Quod patet ex exemplo Sauli, Judæ proditoris, Spira, & aliorum Apostatarum.

3.

Interdum gravitatem & turbationem conscientiae immittit, qua ita premuntur, ut quo se vertant nesciant. Quod patet ex exemplo Sauli, Judæ proditoris, Spira, & aliorum Apostatarum.

4.

Interdum gravitatem & turbationem conscientiae immittit, qua ita premuntur, ut quo se vertant nesciant. Quod patet ex exemplo Sauli, Judæ proditoris, Spira, & aliorum Apostatarum.

Interdum gravitatem & turbationem conscientiae immittit, qua ita premuntur, ut quo se vertant nesciant. Quod patet ex exemplo Sauli, Judæ proditoris, Spira, & aliorum Apostatarum.

postatarum.

postatarum. Tunc planè concidunt, & cum in iudicio divino consistere nequeant, pereunt.

Hoc autem fit ob has rationes; *Primo* ob *Ratio 1.*
 magnitudinem & excellentiam Majestatis di-
 vinae & gloriae, quam homines sufferre nulla
 possunt ratione. *Ille habitat lucem inaccessam,*
1.Tim.6.16. Hinc illud fuit, quod Judæi Legem
 Dei excepturi ad montem Sinai, petierunt, ne
 Deus eis loqueretur, verùm Moyses: quia vi-
 delicet viderunt & audiverunt signa & testi-
 monia gloriosissimæ ejus præsentia: tametsi
 aderat non ideo, ut eos increparet vel judica-
 ret, sed legem ferrer. Quid ergo miseri fecis-
 sent, si eos ad iudicium vocasset? *Hebr.12.v.19.*
*Vocem verborum qui audierant, petierunt, ne am-
 plius sibi fieret sermo.*

Deinde, ideo nemo potest consistere, quia *Ratio 2.*
 nullus est justus coram eo, sed omnes sunt pec-
 catores: excepto solo Christo Domino & Sal-
 vatore nostro; quam ob causam scriptura om-
 nes ex Adamo progenitos arguit peccati & in-
 justitiæ, *Rom.3.10.11.12.* *Non est justus, ne unus qui-
 dem. Non est qui intelligat, non est qui exquirat
 Deum. Omnes deflexerunt simul inutiles facti sunt:
 non est qui faciat quod bonum est, non est usq; ad
 unum.* Ita in aliis etiam plurimis locis, *Rom.5.*
4.12. Gal.3.22. omnes sub peccatum concludit:
 adeo ut ne *Beatam Virginem* quidem excipiat:
 utpote, cui Christus etiam salutem peperit; uti
 ipsa canit, *LUC.1.47.* *Exultat spiritus meus super
 Deo*
*Virgo
 B. Ma-
 ria suis
 etiam*

- obnoxia* Deo *servatori* meo. Universaliter etiam Petrus
peccato pronuntiat, *Act. 4. 12.* *Nec est in alio quoquam sa-*
Originali. *lus: nec enim aliud nomen est sub caelo, quod datum*
Ratio. *fit inter homines, per quod oporteat nos servari.*
1. 2. Huc facit, quod obnoxia fuit miseriis quæ sunt
 3. à peccato, *Luc. 2. v. 35.* *Tuam ipsius animam trahi-*
ciet gladius. Pertinet huc paupertas, exilium, &
 quæ cum his conjunctæ esse solent miseriæ:
 obnoxia etiam fuit *morti*, quæ est *stipendium*
peccati, *Rom. 6. v. 23.* Et cur vero à Domino Jesu
 4. fuit reprehensa? *Luc. 2. 49.* *Quid est quod quæreba-*
tis me? an nesciebatis oportere me in iis esse, quæ
Patris mei sunt? Joh. 2. 4. *Quid mihi tecum rei est,*
mulier? nondum venit hora illa mea. Quum ergo
 omnes homines sint inquinati, Deus vero adeò
 purus, ut nullam immunditiem possit perferre:
 quin imò comburit tanquam ignis omnia: est
 enim ignis consumens, *Heb. 12. 29. & 10. 31. Abac. 1.*
v. 13. non mirum est homines in ejus judi-
 cio sistere non posse, sed cum Saulo in terram
 concidere.

Ufus I.
Refuta-
torius
Justitia-
riorum.

Quid igitur miseri illi facturi sunt, ubi con-
 sistent, qui cum Deo litigare volunt, & sese de-
 fendere bonis operibus? ut se illis justificatum
 iri præsumant & vitam æternam promeritu-
 ros? Ah miseri, ita consistetis cum vestris bo-
 nis operibus, atq; hic videris Saulum aut illum
 veste nuptiali non indutum. Si vos ad examen
 illorum vocaverit, clamabitis ad montes & pe-
 tras dicentes; *Cadite in nos, occultate nos, à conspe-*
ctu ejus

Et tu ejus qui insidet throno, & ab ira Agni. Nam veniet dies ille magnus iræ illius, & quis poterit stare?
Apoc. 6. v. 16.

Cur vero bona opera, quæ vocantur, severitatem justitiæ Dei sustinere nequeunt? 1. *Prima ratio est, quod sint imperfecta. Ille autem perfectam obedientiam Legis. suæ in judicio à nobis requirit. Imperfecta autem ea esse, quis negaverit, siquidem etiam justus cadit: & sanctissimi quique homines precantur, ne Deus cum ipsis in judicium ingrediatur: quia coram Deo nullus vivus est justus: nempe justitia operum suorum, Psal. 143. 2. Et nisi imperfecta sint, cur juberet Christus Apostolos quotidie orare pro remissione peccatorum, Matt. 6. 12. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* 2. *Altera ratio est, quod sint impura in conspectu oculorum Dei, uti confitetur Ecclesia Judaica, Esa. 64. 10. Sumus ut immundus omnes nos, sicut panniculus abjectissimus omnes justitiæ nostræ.* 3. *Quia eis nihil promereri possuimus; nam servi sumus inutiles, etiam quum omnia fecerimus, quæ præcepta sunt, Luc. 17. 10. Vos quum feceritis omnia quæ edicta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere fecimus.* 4. *Quarta ratio, quia in operibus bonis non licet confidere. Sanè Paulus non confidebat in eis, utpote cujus votum erat, ut in Christo comperiretur, non habens suam justitiam, nempe quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi.*

Cur bona opera non possunt consistere in judicio Dei? Ratio 1.

Ratio 2.

Ratio 3.

4.

Christi, id est, justitiam, quæ est ex Deo per fidem, Phil. 3. 9. Nec est cur hic aliquis calumnietur & dicat à nobis doceri bona opera esse non necessaria, aut ea à nobis nihili fieri: Sunt enim necessaria, non tanquam causæ quæ nos in judicio divino absolvant & justifitent, sed tanquam conditio vitæ æternæ necessario antecedens; quia sine sanctimonia nemo videbit Deum, Hebr. 12. 14. Et quamquam in judicio Divino non possunt nos justificare, tamen necessaria sunt; I. Respectu Dei: idque ob has rationes; 1. Quia hæc est Dei voluntas & mandatum;

Ration: ob quas bona opera sunt plane necessaria.

I. Respectu Dei. 1.

1. Thess. 4. 3. Hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestri. 2. Quia pro redemptionis beneficio hanc Deo gratitudinem debemus, 1. Cor. 6. 20. Empti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei. 3. Quia per opera nostra bona Deus celebratur, Matt. 5. 16. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentq; Patrem illum vestrum qui est in cælis. II. Respectu nostri. Idque

II. Respectu nostri. 1.

1. Quia ex iis tanquam fructibus certi esse possumus de fide nostra, Gal. 5. 6. Fides est per charitatem efficax. De renovatione spiritus, Eph. 4. 22. De vocatione & electione nostri, 2. Pet. 1. 10. Fratres potius studete vocationem & electionem vestram firmam efficere: hoc enim si feceritis nunquam impingetis. 2. Quia bonorum operum studio retinemus bonam conscientiam, 1. Timi. 1. 18. 19. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam

conscientiam. 3. Quia pietas ad omnia est utilis, & habet promissiones hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. 8.

III. Respectu proximi. Idque ob has causas, 1. Ut pietatis & charitatis officiiis eum sublevemus, Rom 12. 10. Fraternali charitate alii ad alios amandos sitis propensi. 2. Ne ei simus offendiculo, 2. Cor. 6. 3. Nullam u'la in re præbete impingendi causam. 3. Ut cum Christo lucrifaciamus, 1. Pet. 3. 1. Similiter uxores sese subjiciant suis viris, ut etiam si qui non assentiantur sermoni per uxorū conversationem absque sermone lucrifaciant.

Caveamus igitur ne bonis operibus superbiamus: & si à Domino ad rationes vocati fuerimus, ne quæramus refugium sub tunica Domini aut Beatæ Virginis; sed cum Saulo nostro procidamus in terram; id est; 1. Ne nitamur meritis nostris, quia nihil merentur: aut si constet nobis de obedientia mandatis Dei debita, sciamus nos non nisi fecisse quod debebamus: & id quidem imperfectè. Nam in multis labimur omnes, Jac. 2. 2. Ingens hæc necesse sit superbia, quæ putat se mereri ea quæ Deus negat. 2. Postquam ita desperavimus de propriis nostris viribus, atque etiam de omni auxilio, quod à creaturis potest haberi, sequi debet vera humilitas. 3. Confugiendum est ad solam misericordiam Dei. 4. Omnis fiducia reponenda est in satisfactione & merito Christi. Is enim est sacerdos noster, Advocatus & Mediator. 5. Desistenda sunt etiam seriò peccata: talibus enim

III.
Respectu
proximi.

1.

2.

3.

Ufus II.
Institus

Media
consistē-
di in Di-
vino ju-
dicio.

1. Me-
dium.2. Me-
dium.

Mediū 3.

Medium

4.

Med. 5.

enim

enim ea remittuntur, ut Magdalenæ, *Luc. 7. 44. 48. Dixit ei Jesus, Remissa sunt tibi peccata tua.* Qui has regulas observat, sine dubio omni confister in iudicio Dei.

DOCTRINA II.

Doctrina. 2. Initium conversionis nostræ est humilitas.

Humilitas quid?

Apparet etiam ex hoc loco conversionem hominis ad Deum initium suum sumere ab humilitate coram Deo. Ita heic videmus Saulum, qui debuit ad Deum converti, fuisse prius eo adactum, ut se humiliaret coram Christo Domino: quod quemlibet hominem Christianum facere convenit, si conversionis suæ cupidus est. *Humilitas* est prima Christianorum virtus & eos maxime decens. Ea est autem talis, qua ex agnitione Majestatis Divinæ & infirmitatis atque indignitatis nostræ nos Deo subicimus, eique soli omnium bonorum gloriam tribuimus. *Vel*, Est animi demissio orta ex vera status & conditionis nostræ cognitione. Hujus exemplum habemus in illis crucifixoribus Christi per prædicationem Petri conversis, qui primum se humiliaverant, *Act. 2. 37. Qui vero hæc audierunt compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos, Quid faciemus viri fratres?* Et in latrone in cruce converso, qui suam humilitatem aliquomodo restitutus fuerat, objurgans socium suum, *Luc. 23. 40. 41. & dicens: Ne Deum quidem tu times quum in eadem sis damnatione? Et nos quidem iuste: (nam digna factis recipimus,) iste vero nihil indecens fecit.*

fecit. Sic in custode carceris in quo Paulus fuerat inclusus; qui Act. 16. 30. ait: Domine, quid me oportet facere ut server?

Itaque homo convertendus imprimis humilitati studere debet: idque ideo, 1. Ob ejus necessitatem. Est enim planè necessaria, cum in omni officio erga Deum, Mich. 6. 8. *Indicavit tibi ó homo quid sit bonum: ei quid Jehova requisivit abs te, nisi ut exerceas jus, & ames benignitatem, & modestè ambules cum Deo tuo?* Ita in specie ad quærendum Deum & iram ejus avertendam. Exemplum in Israëlitis, quos, 2. Paral. 12. 7. *quum videret Jehova seipsos depressisse, fuit verbum ad Simejam dicendo, depresserunt seipsos, non perdam eos: sed præstabo eis mox liberationem, neque effundetur excandescencia mea super Jeruschalaima per Schischakum.*

Deinde ideo, quia ea est Deo perquam grata, Ratio 2.
adeo ut eam respiciat, Psal. 51. 19. *Animum fractum & contritum, ó Deus, non spernis. Psal. 34. 19. Propinquus est Jehova fractis animo: & contritos spiritu servat. Esa. 66. 2. In hunc intueor, in pauperem & contritum spiritu, ac trepidantem ad verbum meum.*

Tertiò, quia homo seipsum considerans in se nihil aliud invenit, quam causas graves & fonticas humiliandi se. Nihil enim in se boni habet ex se: sed omnia bona à Deo, etiam cogitationes. Quid ergo aliud agat, quam sese humiliet? 2. Cor. 3. 5. *Non sumus idonei per nos ipsos*

ad cogitandum quicquam, velut ex nobisipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est. Vide etiam Gen. 6. v. 5. 1. Cor. 2. v. 14.

Ratio 4. *Quarto, quod Deus gratiam suæ conversionis non aliis promisit, quam humilibus. Eos vult respicere, ut jam ex Esa. 66. 2. citatum est. Eis dabit gratiam, Jac. 4. 6. Deus superbis obsistit, submissis autem dat gratiam. Eos justificat, id est, facit, ut ex humilitate sua certi esse possint se esse justificados & ad Deum conversos. Quod Publicanus ille exemplo suo docet, Luc. 18. 14. Publicanus procul stans nolebat vel oculos in cælum attollere: sed cædebat pectus suum, dicens, Deus, placator mihi peccatori. Dico vobis, descendit iste justificatus domum suam, potius quam ille.*

Ufus I.
Hortat. ad Humilitatem.

O vos ergo omnes, qui conversi nondum estis, & tamen converti desideratis sincerè, submissione animi estote intus ornati: nam *Deus superbis obsistit, submissis autem dat gratiam, 2. Pet. 5. v. 5.* Nihil vestram conversionem magis impedire potest, quam superbia adversus Deum: quæ nihil est aliud, quam si homo inveniens in se aliqua dona Dei, ea non Deo sed sibi adscribit, suæ industriæ aut viribus: meritis suis aut bonis operibus superbit & intumescit. Quod si *queras*, quomodo hanc superbiam in me retundam, & acquiram veram illam humilitatem, matrem omnium virtutum Christianarum, & singulare illud animæ ornamentum?

Respondeo:

Media
*acquirè-
di Humi-
litatem
veram.*

I. Considera

1. *Considera naturam tuam: quis es? & qualis? homo corruptus in intellectu & voluntate: peccator nasceris & vivis: ac ideo es reus aeternae condemnationis: es vir imbibens iniquitatem ut aquam, Job. 15. 16.*

Medium
1.

2. *Considera quid illos maneat qui se non humiliant: manent in sua corruptione & in ira Dei: deprimuntur & pereunt.*

Medium
2.

3. *Considera insignem Dei bonitatem, qui humiles gratia sua dignatur. Nullus potest inveniri tam magnus peccator, quem Deus non recipiat ad suam gratiam, si se humiliaverit. Declaravit hoc Dominus exemplo debitoris illius cui Dominus ejus remisit debitum decies mille talentorum, Matt. 18. 24-27. Aut saltem te permoveat promissio regni caelorum, Matt. 5. 3. Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum caelorum.*

Medium
3.

Dices: Ah jam ego ista bonitate Dei & tam excellentibus fructibus humilitatis ita excitatus sum, ut nihil dubitem me esse humiliatum.

Ufus II.
Institu-
torius.

Respondeo: est sane cur Deo summas agas gratias: Verum ne te decipias, siue tua humilitas vera an ficta, cognosces ex hisce signis:

Signa
Humili-
tatis.

1. *Primum est, agnoscere peccata sua praesentia & praeterita; eaque confiteri non tantum in genere, sed etiam speciatim recensere coram Deo. Sic David, Ps. 51. 4 & 16.*

Signum
1.

2. *Peccata sua privatim defflere; eaq; 1. Omnia, nota & ignota; parva & magna. 2. Quate-*

Signum
2.

nus ea sunt peccata, non autem ob pœnas eis imminentes.

Signum 3. *Non confidere* suis meritis, sed recumbere totaliter in Dei misericordia & Christi satisfactione.

Sign. 4. 4. *Instituere* serio vitæ suæ reformationem.

Sign. 5. 5. *Singulis diebus* orare Deum, ut ei det spiritum suum.

Sign. 6. 6. *Humilem esse* non tantum tempore afflictionis alicujus: sed etiam rebus prosperrimis.

DE POSTERIORE.

II. Paulus audit Christum se alloquentem. Saulum ita in terra humiliatum jam Dominus ita affatur; *Saul, Saul, quid me persequeris?* id est, extrema quæque tentas ut mihi ægre facias. Persequi enim est ad extremum usque aliquem sequi. Habuimus hæcenus lucem & fulgura è cœlo: hæc verba sunt instar tonitru & fulminis quo Christus Saulum non tantum in terram prostravit, verum etiam ita trajecit, ut mortuo similis jaceret. Sunt autem ista verba increpatoria. Nam objurgat eum Dominus & exprobrat ei peccatum, quod admiserat contra eum persequendo ejus discipulos. Quod ideo facit ut illum tanto facilius adduceret ad cognitionem suorum peccatorum.

Doctrin. Ministri Ecclesie auditores suos arguere. Hoc suo facto Christus Dominus exemplum proposuit omnibus ministris suæ Ecclesie, quos sui loco illi præfecit, ut auditores suos peccatorum arguant non tantum in genere, sed etiam particulariter & nominatim. Dominus

minus hic non ita loquitur; Cur sacerdotes Hierosolymitani mihi adversantur, aut cur meamq; doctrinam non recipiunt: sed, cur tu, tu Saul me persequeris? Ita *Actor. 2. 23.* Petrus non in genere arguit Judæos peccatorum, sed in specie, quod cruci affixerint Christum. *Jesum illum Nazaræum, inquit, definito illo consilio & præcognitione Dei deditum quum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis.* Idem in Johanne Baptista apparet, *Luc. 3. v. 12. 13. 14.* *Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur, & dixerunt ei: Magister, quid faciemus? Ipse verò dixit eis; Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, exigite. Interrogarunt autem eum etiam milites, dicentes: Et nos quid faciemus? Et ait eis: Neminem concutite, neque dolo opprimite; & contenti estote stipendiis vestris.* Elias Achabum objurgat quod interemerit Nabothum, *1. Reg. 21. 19.* *Pro eo quod linxerunt canes sanguinem Nabothi, lincturi sunt canes tuum sanguinem etiam tibi.* Nathan Davidem, *2. Sam. 12. 9.* *Quare sprevisi verbum Jehovæ, faciendo quod malum videtur in oculis ejus? Uriam Chithæum percussisti gladio, ut uxorem ejus assumes tibi in uxorem: nam occidisti eum gladio Hammonitarum.*

In ejusmodi autem increpatione & arguitione peccatorum oportet observare has regulas: 1. *Ne fiat ex affectu & ira vel odio privato, sed ex charitate fraterna.* Ita Paulus postquam arguisset Corinthios, quod incestuosum

debens peccatorum particulariter.

Regula in reprehensione peccatorum observanda.

illum tolerassent inter se, concludit, 2. Cor. 2. 4.

- Ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi vobis, per multas lacrymas, non ut tristitia afficeremini, sed ut cognosceretis charitatem quam habeo summam erga vos.*
2. Deinde, condiri manluetudine ac lenitate, Gal. 6. 1. *Fratres etiam si præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconcinnate ejusmodi hominem cum spiritu lenitatis: considerans unusquisque temetipsum, & ne tententis.*
3. Debet fieri perseveranter. Nam toties & tamdiu admonendus est frater, dum fructus inde sperari potest. Exemplo est Petrus, qui 2. Epist. cap. 1. v. 13. ait: *Justum duco, quamdiu sum in hoc tabernaculo, expergefacerere vos per submonitionem.*

Jam verò rationes ob quas ministri huic officio invigilare debent sunt potissimum istæ:

- Ratio 1.** 1. Mandatum Dei expressum, 2. Tim. 4 2. *Predica sermonem illum, instat tempestivè, intempestivè: argue, objurga: exhortare cum omni lenitate & doctrina.* Sic Matth. 13. v. 17.

- Ratio 2.** Altera ratio est, Utilitas: nam ejusmodi conciones multo utiliores sunt auditoribus, quam illæ generales: profundius incidunt in cor. Quid juvat, si dominus in genere alloquitur suos servos, injungens ut hoc vel illud fiat? nemo illud mandatum sibi esse dictum autumat: verùm si nominatim huic vel illi mandat, utile demum solet esse ejus mandatum. Simili ratione, quod si Concionatores in genere tantum

tum dicunt, omnes sumus peccatores, vel, ne peccetis amplius, &c. non afficit, nec penetrat in cor ejusmodi concio: sed oportet particulariter applicare, dicendo: *Omnes vos blasphemii, ebriosi, pejeratores, scortatores, adulteri, &c. pœnitentiam agite*; nam securis jam ad radicem apposita est. Homo peccator siquidem in peccatis suis sepultus jacens, similis est Jonæ, qui etiam si navarchus omnes generaliter in sua navi existentes moneret, ut clamaret quisq; ad suum Deum, in utramque aurem dormivit: at cum non ominatim excitaretur hæc verba audiret, *Cap. 1. 6. Quid tibi est somnolente? surge: demum surrexit à somno suo.*

Ex istis facile jam colligere possumus, quæ sit causa quod Ministri Verbi Dei, quo fidelius officium suum exequuntur, eo majore invidia apud quosdam suorum auditorum laborant, ab iisque odio habentur? nempe, quod eos peccatorum arguant. Achab Rex Israël, ita loquitur ad Josaphatum, *1. Reg. 22. 8. Amplius vir quidam est ex quo consulas Jehovam, sed ego odium, quia non prophetat de me bonum, sed malum, Micheas filius Jimlæ.* Idem Achab reprehensus ab Elia ob mortem Nabothi inquit ad eum; *Invenisti me, inimice mi? & dixit Elias: Inveni, eo quod dedisti te ad faciendum quod malum videtur in oculis Jehovæ.* Sic Judæi cum eis Paulus tacite, & per obliquum latus exprobraret mortem Stephani, audiebant eum ad hunc usque sermonem;

Ufus I.
Institus.

tum vero iustulerunt vocem suam dicentes :
*Tolle è terra hominem istiusmodi: non enim convenit
 eum vivere, Actor. 22. 22.* Clarius est exemplum
 in iisdem Judais & Stephano, *Actor. 7. 51. 54.*

Ufus II. Vobis verò, auditores verbi divini, eo hoc
insistit. inservit, ne offendamini reprehensionibus, ne-
 que eas agrè feratis. Nam Ministri vestri non
 nisi quod debent faciunt: imo ipse Deus per
 eos vos alloquitur & arguit: & id quidem ad
 vestram utilitatem. Offensio est signum animi
 superbi & ingrati. Nam quod majus benefi-
 cium præstari potest, quam peccantem corri-
 gere, errantem in viam reducere, tendentem
 in infernum, ducere ad cœlos: denique servare
 animam? *Jac. 5. v. 20.* Petrus reprehensus à
 Domino, non est offensus, *Joh. 15. 9.* Ita quum
 eum Dominus præsumptionis corripere, re-
 spiciendo eum, se abnegantem, exiit & flevit
 amarè; id est, pœnitentiam egit. Unde verò
 hoc est, quod quidam adeo sunt reprehensio-
 num impatientes? 1. *Putant* hoc non perti-
 nere ad Ministrorum officium: Imo vero; au-
 divistis expressum mandatum Spiritus S. ex E-
 pistola ad Timotheum. Huc refer *Esa. 58. 1. Ex-*
clama gutture. ne cohibeto, tanquam buccina extolle
vocem tuam: & indica populo meo defectionem ipso-
rum. & domui Jacobi peccata ipsorum. Et quomo-
 do verò vita eorum non pertineat ad ipsos, à
 quibus Deus in ultimo iudicio postulabit ratio-
 nem ovium suarum? *Ezech. 3. 2. 3. Fili hominù*
speculate

Impedi-
menta,
ob que
nonnulli
ferre ne-
queunt
reprehē-
siones.

1.

speculatorem dedit e domui Israël, ut audias ex ore meo verbum, & admoneas eos à me. Quum dixero improbo, utique moriturus es: tu autem non admoneeris eum, neque alloquutus fueris, ut admoneas improbum, revocans à via ejus improbissima, ut serves eum: iste improbus in iniquitate sua morietur: sed sanguinem ejus è manu tua reposciturus sum.

2. Non considerant, quo loco sint in Ecclesia, nempe membrorum, quorum est subesse capiti suo: nihil hic prævalent divitiæ vel genus, vel aliæ mundi prærogativæ: omnibus æqualiter idem jus administratur. Ab omnibus ergo recipi debent correptiones & reprehensiones; & quidem 1. In charitate & sancta æstimatione, ut monet Paulus, 1. *Theff. 5. 13. Eos supra modum charos ducatis, propter opus ipsorum.* 2. Cum omni humilitate & fructu, ut vobis semper cedat in medicinam animarum vestrarum.

Quomodo recipienda reprehensiones?

Regula
1.
2.

VERSUS V.

Dixit autem: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus quem tu persequeris: durum fuerit tibi contra stimulos calcitrare.

Textus.

EXPLICATIO.

EX præcedenti versu audivimus Christum Dominum è cælo, ita dicam, fulminantem adversus Saulum: Jam refert Lucas, quid ad hæc Saul responderit, & quomodo à Christo exceptus fuerit. Duo ergo heic habemus:

1. Responsum Sauli.
2. Replicationem Christi.

Divisiõ

I.
Respon-
sum
Sauli.

Responſio Sauli eſt in iſtis verbis: *Dixit atten- tem; Quis es Domine?* Dominus propriè dicitur iſ, qui domui præeſt: qui titulus Chriſto optimè convenit: præeſt enim domui Dei vi- ventis, id eſt, Eccleſiæ. Jam verò Saul noſter multo apparet modeſtior: jam depoſuit animi ferocitatem: jam Dominus ſuperbiam ejus compæſcuit, & eo adegit, ut quærat, quis ille ſit, quem peccato ſuo offendit, & quem perlequebatur: tacitè de ſuis malis actionibus meditans, & exhorreſcens ad ea quæ hæcenus commiſit: adeo quidem ut illa meditatio ei fuerit medium ad ſalutarem converſionem, & perveniendi ad Chriſtum.

Doctrin.
Medita-
tio de
peccatis
noſtris
eſt me-
dium ſa-
lutaris
conver-
ſionis.

Meditatio igitur de peccatis noſtris eſt me-
dium converſionis ſalutaris. Sanè niſi Saul
meditatus fuiſſet, & attentè conſideraſſet, quis
ille ſit quem perlequebatur, & quam graviter
eum offenderet, nunquam in ea erupiſſet ver-
ba: *Quis es Domine?* Filius prodigus non prius
receptus fuit à patre ſuo in gratiam, quam in
mente ſua conſideraſſet, & dixiſſet, *Luc. 15. 17. 18.*
*Quot mercenarii patris mei redundant panibus, ego
verò fame pereor? Surgens proficiſcar ad patrem
meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum & in
tuo conſpectu: neque amplius ſum dignus vocari fi-
lius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis.* Idem
egit Eccleſia antiqua Judaica, ita eum loquitur
Lament. 3. 19. 20. *Recordando afflictionis meæ & plo-
ratus*

ratus mei, absynthii & cicuta, planè inquam, recordando, anima mea humiliat se in me: quasi dicat; Recordor omnis meae miseriae & afflictionis, & peccatorum meorum, quae illius causae fuerunt; hoc est, tacitè de eo meditabar. Quid verò sequitur? cor & anima mea ideo humiliavit se coram Domino, & occasionem arripuit ad eum se convertendi.

Hæc meditatio est mentis & animi exercitium: non est autem instituenda in eum finem, ut mens peccatis oblectetur. Talis etenim meditatio tantum abest ut commendetur & hominis conversionem promoveat, ut potius eam impediatur: ideoque à Spiritu Dei prohibetur serio, quia est peccatum. Aperte hoc testatur Paulus, qui dicit se non nosse concupiscentiam esse peccatum, nisi lex diceret, *Non concupisces*, Rom. 7. 7. Et quidni cogitatio mala sit peccatum, quum sit fons & origo omnis peccati? Verum meditatio de peccatis consistit in eo, & in hunc finem instituenda est:

1. Ut consideres magnitudinem peccatorum tuorum & turpitudinem: quæ potissimum ex effectis agnoscuntur. Nam peccatum pudore nos afficit & metum incutit, facitque ut fugiamus Deum & abscondamus nos cum Adamo à facie ejus; quam à nobis avertit, Spiritum Dei à nobis propellit, & nos à Deo segregat, Esa. 59. 2. *Iniquitates vestrae determinant inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra faciunt, ut oc-*

*Cogitationes
mala
sunt peccatum.*

*In quo
consistat
meditatio
salutaris?*

1.

cultea

cultet faciem à vobis, ne exaudiat. Hac in parte Regius Pfalter David proponit se nobis imitandum, *Pfal. 51. 5. Defectiones meas ego agnosco; & peccatum meum mihi obversatur jugiter: vide etiam vers. 6. 9. 10. 11. 13. 14.*

2. Ut pervidere possis, quis ille sit quem peccato offendisti? Dominus tuus; Deus, inter quem & inter te minor longe comparatio quam inter cœlum & terram, quæ illius respectu tantum est instar puncti. Tam enim terra est creatura quam cœlum: at tu cum Deo collatus creatura es, & quidem ob peccatum misera, ille est creator tuus, habitans in luce inaccessa, & vitam agens felicem.

3. Ut peccatum destiteris ex animo, apud eumque certo constituas reformationem vitæ tuæ, institutionem novæ obediētiae, quam Deo offeras ultro, cum Saulo dicens: *Quis es Domine, quid me vis facere?* Atque talis meditatio est medium Conversionis veræ; cujus est hæc ratio, & fundamentum:

Ratio. Quod homo tum apertè videt, quam in misera sit constitutus conditione: & si in ea perseveraverit, nihil se aliud expectare debere, quam infernum & æternam condemnationem. Unde concludit, omnino ei qui salvari cupit necessariam esse conversionem: quam impossibile est non desiderari ab eo, qui se videt in peccati statu, quo nullus miserior esse potest. Nam qui manet in peccato, manet in morte
æterna,

æterna, ubi tantummodo est fletus & stridor dentium æviterus. De hoc statu meditatio, post admissum adulterium & homicidium, expressit Davidi has voces, *Psal 51.2. Misere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas.* Et crucifixoribus Domini, *Viri fratres, quid acturi sumus? Act. 2. 37.*

Quum igitur talis meditatio adeo sit ad salutem necessaria, quid de illis statuendum est, qui hoc non faciunt: nihil sunt solliciti de suis peccatis, nec de eorum turpitudine, nec magnitudine; quinimo securè in utrâmq; stertunt aurem: qui etsi D. Christum per ministros audiunt se corripientem, & reprehendentem varia peccata, tamen non dicunt cū Saulo: *Quis es Domine, què ego persequor, què peccatis meis offendo: sed occidendo boves, & jugulando pecudes, comedendo carnes & bibendo vinum dicunt: edamus & bibamus, cras enim mori: uri sumus, Esa. 22. v. 13.* Quique cum illo divite, *Luc. 16. v. 19. induuntur purpura & bysso, & sese oblectant quotidie splendide.* Quid de illis aliud dicamus, quam non esse eis cordi conversionem neque salutem æternam. Verum ô miseram vestram conditionem! væ vobis, nisi resipiscatis! idem vos manet iudicium, quod fuit illius divitis, qui jam apud inferos æternum cruciatur, *Luc 16. 23.*

Hic verò prodenda nobis sunt & dein removenda impedimenta quædam, quæ nonnul-

Usus I.
Reprehē-
sorius.

Impedi-
menta.

los non

los non sinunt exercere hanc sanctam meditationem. 1. *Primum* est, quod peccata sua extenuant & parvi faciunt, existimantes ea aut non esse tanta ut eis viam ad cælum præcludant, aut Deum non esse adeo severum, ut eos propterea in barathrum æternæ damnationis præcipitet. In hoc censu apud eos sunt, *ebrietas, avaritia, otium, sermones putres & spurci, abusus nominis Divini in execrationibus, & similia.* Verum an hæc parva putabitis, quæ vos regno cælorum excludunt? Audi Paulum, *1. Cor. 6. 9. Neque scortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum masculis, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque convitiatores, neque rapaces regni Dei hereditatem possidebunt.* Idem Apostolus *Eph. 5. 4.* Obscœnitatem, & stultiloquium, & scurrilitatem ne nominari quidem vult inter Christianos. Et quanquam verò quædam videntur esse minora peccata, tamen num ideo ea non cavebis? Atqui non secus pugione homini vita adimi potest, quam gladio. Dei verò misericordiam frustra prætendis: eam enim non exercet nisi in pœnitentes: impœnitentes vero punit severe.

2. *Alterum* impedimentum est, quod non fugiunt mala cõsortia, sed cum eis mala patrant. Ab illo Spiritus S. summa cum diligentia dehortatur, *Prov. 4. 14. 15. 16. Iter improborum ne ingreditor, neq; incedito per viam malorum. Abstrahete ab ea, ne transito per eam, declina ab ea, & præ-*

teri. Nam non dormiunt illi, nisi malefecerint; & eripitur somnus illorum, nisi fecerint, ut impingat quispiam.

3. *Tertium*, quod tantum terrena sapiunt, non coelestia: carnalia non spiritualia. 4. *Quartum*, quod in peccando habitum contraxerunt.

O meditemur itaque nos de peccatis nostris, & inquiramus in statum nostrum! Mandat hoc Deus per Apostolum, 2. Cor. 13. 5. *Vos ipsos tentate an sitis in fide, vos ipsos explorate.* Nec aliter poterimus habere pacem & conscientiarum nostrarum tranquillitatem. Et ut eo facilius peccata detestemur, meminerimus. 1. *Omnia* illa Deo esse exosa, tam illa quæ parva videntur, quam quæ maxima. Hinc *Psal. 5. 6.* dicitur *odisse omnes qui operam dant iniquitati:* non quatenus sunt ejus creatura, quam ille amat: sed quatenus peccatores. Et *Psal. 7. 12.* dicitur *impio irasci quotidie,* id est, punire: hoc enim est iræ consequens. 2. *Obversetur* memoriæ nostræ assidue conditio intolerabilis inferni, in quem detrudentur omnes qui non meditantur peccata sua. Est autem intolerabilis 1. *Respectu tormentorum*, quæ exprimuntur igne & flamma: verme nunquam morituro, stridore dentium & fletu. 2. *Respectu æternitatis*, quæ quanta sit, nemo expresserit. Postquam ô infelix anima damnata innumerabiles milliones annorum in inferno es excruciatâ, nondum es in initio æternitatis. Cogita æternitatem, ergo
& medi-

Usus II.
Hortatorius.

Media.

1.

2.

3. & meditare conversionem. 3. *Meminerimus* nobis pœnitentibus ineffabilia bona in cœlo esse reposita. 4. *Cogitemus* frequenter de morte nostra, quæ est certissima; & de extremo iudicio, in quo ratio reddenda erit omnium peccatorum, & quidem accuratissima: ab illis qui hic non meditantur peccata sua, tunc ultimus etiam exigetur quadrans. Tunc non dabitur tempus meditando conversionem, quia tempus erit recipiendi secundum opera mercedem.
5. 5. *Cogitemus* de morte Christi, quam pro nostris peccatis sustinuit acerbissimam, æternam pretio & valore: negligamusne fructum ejus mortis nobis applicare per meditationem nostræ conversionis, testarique eos ad nos etiam pertinere? Hæc postrema quatuor media elegantè hoc versu expressa sunt:

*Mors tua, Christi mors, infernus, gloria cœli,
Hæc quatuor semper sunt meditanda tibi.*

D E P O S T E R I O R I.

21. *Replicatio
Domini.*

Replicatio Christi duas habet partes: in prima directè Saulo ad quæstionem respondet, quod ille ipse sit is, quem Saul persequeretur. In altera, ostendit ei vanitatem ipsius propositorum, in persequendo Ecclesiam.

*I. Respõ-
sio Christi
sibi dire-
ctæ.*

Quod PRIUS attinet, responsio Christi directæ est in verbis: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Verba sunt exprobratoria ingratitude: quasi dicat; Ah ingratiſſime homo, ah impiſſime Saul, qui audes persequi non ho-

mines,

mines, non Stephanum, non tam discipulos meos qui sunt Damasci, quam me, Deum tuum, Jesum tuum, id est, Salvatorem, Servatorem tuum: qui te à peccatis tuis redemi, qui pro te mortuus fui, ut tibi sim Jesus, hoc est, ut tibi promerear salutem æternam.

Unde jam non tantum confirmamur in fide nostra, Dominum Christum esse Jesum, Salvatorem & Servatorem; ita ut tutissimè in eo acquiescere possimus, & abs eo salutem expectare: verum etiam videmus liquido, eos qui Ecclesiam Dei persequuntur, ipsum Christum persequi. Quanquam Saul persequeretur Christianos, tamen Dominus sibi hoc adscribit: *Ego sum, inquit, Jesus, quem tu persequeris.* Sic Deus contumeliam populo suo illatam à Senacheribo & ejus servis, sibi factam dicit, *Esa 37, 23, 24. Quem probro affecisti ac blasphemasti? & contra quem extulisti vocem? utique attolli in sublime oculos tuos contra Sanctum Israël. Per servos tuos probro affecisti Dominum.* Atque hanc ob causam Judæi ab hostibus afflicti, Deum orarunt, ne permitteret hostes blasphemia afficere nomen suum, *Pf. 74, 10. Quousque, inquit, o Deus, probro afficiet hostis? irritabit inimicus nomen tuum in æternum?* Sciebant enim eam ignominiam in destructione Templi imprimis in Deum vergere. Ipse Deus hoc clare docet, dum ait se exculpisse suos fideles in manu sua: adeo ut eis nemo nocere possit, quin manum Dei offendat,

Doctrina.

Qui Ecclesiam persequuntur, ipsum Christum persequuntur.

Esa. 49. vers. 16. En in manibus meis sculpsi te.

Ratio.

I.

Ex quibus jam apparet, cur persecutores Dei Ecclesiæ, ipsi Deo vim inferant: sed huc accedunt etiam aliæ rationes duæ. 1. Prior est, quod fideles sunt membra Christi; ipse eorum caput, *1. Cor. 12. 27. Vos estis corpus Christi, & membra particulatim. Eph 5. 23. Christus est caput Ecclesiæ: v. 30. Membra sumus corporis, ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Zach. 2. 12. Deus eos dicit esse pupillam oculi sui. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi ipsius.* Impossibile est ergo plane, ut qui injuriam infert fidelibus, non inferat eam ipsi Christo: sicuti fieri nequit, quin caput offendatur, manibus aut pedibus læsis. Hoc idem explicari potest similitudine domus, quæ est Ecclesia in qua Christus habitat. Quis est hospes vel Paterfamilias, qui hoc sibi non adscribat, (imo vere ei accidit,) quod evenit ejus domui: sive illud sit aliquod damnum, vel ignominia, vel aliqua vis?

Ratio 2.

Posterioris rationis fundamentum est in causa, ob quam fideles persecutionibus sunt obnoxii. Nam quicquid patiuntur, patiuntur non sui causa, sed propter Deum & ejus justitiam. Causa hæc non est eorum, sed Dei, sed Christi, qui eam suam esse pronuntiat, à qua nihil vult habere separatum. Causa autem illa est, defensio constans doctrinæ Christi puræ, & detestatio regni diabolici. Hoc ipse Dominus cum hic viveret agebat: jam vero eam causam commisit suæ

fit suæ Ecclesiæ, ideoq; jure maximo eam suam esse dicit.

Quapropter ô quam graviter peccant omnes ii, qui non secus atque gigantes bellum cœlo inferunt! Certe pœnas etiam graveis non effugient; prouti Deus ipse minatur, *Esa. 41. 11. 12.*

*Ufus I.
Reprehensivus.*

En erubescunt, & ignominia persudentur, quicumq; exardescunt contra te: erunt tanquam nihil, & peribunt adversarii tui. Quærens eos non invenies eos, qui concertant tecum, erunt tanquam nihil, & tanquam nihilum homines oppugnantes te. Deut. 30. 7. Indet autem Jehova Deus tuus omnes adjurationes istas inimicis tuis, & osoribus tuis qui persecuti fuerint te. Huc adde Psal. 37. 12. 15.

Nobis vero hæc doctrina animos addit & hortatur, ut alacriter omnia adversa feramus: neque sit nobis molestum pati cum Christo; quandoquidem ipse ille particeps est nostrarum persecutionum.

Quod summam adfert etiam consolationem. Insurgant sane omnes contra nos & inferant injuriam, erit tamen semper aliquis qui nos potentissime defendet, & tandem salvabit: nempe Jesus Christus, comes & socius calamitatum nostrarum.

*Ufus II.
Consol.*

Quod POSTERIUS attinet, illud est in verbis, *Durum fuerit tibi contra stimulos calcitrare.* Stimulus proprie dicitur fustis acutæ cuspidis, quo rustici boves suppungunt. Est itaque similitudo sumpta a bobus vel asinis, vel equis, qui

II. Vanitas Propositoris Savi.

dum stimulis punguntur, calcitrant quidem, sed tamen nihil proficiunt: imo sibi ipsi magis nocent: nam stimulis magis punguntur, atque ita malum suum duplicant. Hoc eodem simili Christus docet, hostes tamen calcitent contra Christum, persequendo ejus Ecclesiam, nihil tamen proficere.

*Doctrin.
Frustrane
i sunt
conatus
hostium
Ecclesie
Dei.*

Frustranei ergo sunt conatus & persecutiones hostium adversus Ecclesiam Dei: nihil proficient, non exterminabunt eam: *durum eis fuerit contra stimulum calcitrare.* Incus est illa, quæ omnes ictus malleorum sine suo damno suscipit. Petra ad quam fluctus marini allidunt & recedunt subito. Quid effecerunt tam novæ quam veteres persecutiones? nihil. Quid in Gallia tam cruentæ laniens? nihil. Quid carnicinæ in Belgio? nihil. Populus Dei V. T. multos habuit hostes, qui tamen eum funditus delere & excindere non potuerunt.

Ratio.

Idem Ecclesia Novi Test. sibi polliceri potest & debet: cujus rei fundamentum est hoc:
 1. Quod Deus ipse tueatur & defendit eam, uti Psalmista canit, *Psal. 125. v. 1. 2. Qui confidunt Jehovæ, similes sunt monti Sionis, qui non dimoveatur, in seculum permanet. Ut Hierosolyma montes circumstant, ita Jehova circumstat populum suum, ex hoc tempore usque in seculum. Ad eam loquitur Zach. 2. 5. Ego ero ei murus igneus circumquaque, & gloria ero in medio ejus. Sic Deus defendit & pugnavit pro sua Ecclesia contra Amalecitas.*

malecitas, demittendo in eos desuper lapides.

2. Quod Christus promisit se habiturum, *Ratio. 2.*
semper Ecclesiam, *Matth. 28. v. 28.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Nec potest non habere Ecclesiam: uti impossibile est esse sponsum aliquem sine sponsa: regem sine regno: pastorem sine ovibus. Hinc vocatur Rex & Pastor aeternus.

Optimum ergo erit non persequi eam; siquidem frustraneus est labor: sequimini consilium Gamalielis, *Actor. 5. v. 38. 39.* Nunc itaque dico vobis, abscedite ab hominibus istis, & missos ipsos facite; quoniau si est ex hominibus consilium hoc, sive opus istud, dissolvetur: sin ex Deo est, non potestis illud dissolvere, & videte ne etiam cum Deo pugnare comperiamini. Verum quia de hac doctrina jam egimus in versu tertio, plura non addemus. *Usus dehortator.*

V E R S U S. VI.

Saul vero tremens & pavens dixit, Domine, quid me vis facere? Tum Dominus ad eum, surge & ingredi urbem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.

E X P L I C A T I O.

PRæcedentibus duobus versibus, quarto & quinto habuimus objurgationem Sauli: Jam Lucas describit nobis effectum & utilitatem istius reprehensionis, quæ redundavit in Saulum; ea autem fuit perquam magna. Nam Christo se jam subicit, & humiliter, quid sibi facien-

faciendum sit, quærit. Itaque Euangelista duo hic agit :

1. Fructum illum proponit.
2. Ostendit, quid illi Dominus præceperit .

D E P R I O R E .

1. Fruct. Fructus ille est in verbis istis : *Saul vero tremens, & pavens dixit, Domine, quid me vis facere?* Duo nobis iterum in his verbis proponuntur :

1. Conditio, in qua tum constitutus fuit Saul.
2. Ille ipse fructus, consistens in subjectione Christo præstita.

1. Conditio Sauli.

Quod PRIUS attinet ; Conditio Sauli illo tempore quo à Domino reprehenderetur, exprimitur verbis, *Saul tremens & pavens dixit.* Vide quomodo eum trajecerint & penetrarint Christi verba ! Pavor ille & metus certum erat indicium humilitatis. Tremebat enim & pavebat procul dubio præsentiam Domini majestate insigni ornatam. Pavebat etiam ob peccata, quæ ipsi ob oculos veniebant : unde concludebat res suas in discrimine versari.

Doctrin. Timor aliquando est signum humilitatis.

Ex quo loco videmus, metum & timorem esse argumentum humilitatis. Quapropter Deus ipse non dubitat contritionem cordis, id est, humilitatem conjungere cum trepidatione. *Esa. 66. v. 2. In hunc intueor, in pauperem & contritum spiritu, ac trepidantem ad verbum meum.* Paulus vero fideles hortatur, ut cum tremore & timore suam ipsorum salutem conficiant, *Phil. 2. 12.*

2. 12. Propheta Abakuk considerans pœnas & judicia Dei gravia superventura, humiliavit se & timuit, *Cap. 3. 16. Audivi, commotus est venter meus, ad vocem palpitant labia mea, invadit putredo ossa mea.*

Quid ergo, *dices*, impii etiam coram Deo humiliantur? nam interdum reperitur apud eos quoque timor & pavor. *Respondeo*: etiam illi aliquando se humiliant coram Deo: sed tantummodo externe, ideoq; hypocritice; verum enimvero ejusmodi humiliatio ad salutem eis nihil prodest. Aliquando hoc illis adfert utilitatis, quod Deus ab eis aufert aut lenit pœnas temporarias: quod fecit Achabo Regi, qui quum audisset verba minarum Dei, laceravit vestes suas & imposito cilicio carni suæ jejunavit: cubavit etiam cum cilicio & ambulavit lente. Quapropter fuit verbum Jehovæ ad Eliam Thesbiten dicendo: *Videsne Achabum se abjecisse ante faciem meam? eo quod abjecit se ante faciem meam, non inducam malum illud diebus ejus, diebus filii ejus inducam malum illud super domum ejus.* Verum non de hoc metu Doctrina nostra loquitur. Deinde respondeo etiam, metum aut potius humilitatem esse duplicem: quædam est conjuncta cum patientia: quædam cum murmuratione. Prior in impiis locum non habet, sed posterior. Nam impii etsi se humiliant, tamen semper murmurant & impatientes sunt. Murmurant intus, nonnunquam etiam extra. Quum ergo impii signum

Object.

Resp. I.

Resp. II.

non habeant, videlicet patientiam: neq; ipsam rem habent, nimirum humilitatem.

Ratio.

Ille autem verus & salutaris metus, qui indicium est veræ humilitatis in piis, provenit ex attenta consideratione ab *una* parte Majestatis Divinæ & ejus gloriæ, quæ oculos mentis nostræ perstringit, & cor nostrum trajicit: ab *altera* vero, nostræ miseriæ & summæ viliratis, ita ut videatur non posse nos ulla ratione consistere, sed oportere perire. Itaque hoc ansam præbet, ut homo tremens seipsum agnoscat & humiliet.

Usus In-
firmior.

Hoc autem totum eo nobis inservit, ut nos ipsos exploremus, num signum illud veræ humilitatis etiam in nobis inveniatur: ut certi esse possimus, nos esse coram Deo humiliatos.

Media,

1.

Talis vero trepidatio mentis & conscientiæ provenire debet, ex *consideratione* peccatorum nostrorum, quibus Deum & Patrem nostrum benignissimum ad iram provocamus. Et sane impossibile videtur, quin homo concutiat & cum Saulo trepidet, quicumque ad accuratius examen revocaverit singulis diebus, (quod quilibet facere tenetur) omnes suas cogitationes, dicta & sermones, facta & actiones. Qui perpenderit peccata suæ ignorantia, procraftinationis poenitentia, vanæ gloriæ, securitatis carnalis, incorrigibilitatis, hypocriseos, amoris sui ipsius, tepiditatis in cultu Divino, voluptatis in rebus mundanis, superbiæ adversus Deum & proximi

proximum; peccata omissionis, commissionis in audiendo verbum Dei, in precibus, in confessione peccatorum; peccata invidia, iræ, odii; peccata contra corpus suum, contra animam, contra castitatem, contra statum & conditionem suam; Peccata contra Christum, contra pœnitentiam, contra fidem, contra gratiam Spiritus S. &c. Qui, inquam, secundum hunc aut similem catalogum vitam suam examinant, fieri nequit, quin multos reperiant defectus, & tandem trementes & paventes non exclament: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas: *cum maxime* vero, si ob oculos sibi statuat pœnas Dei promeritas: videlicet cruciatus infernales, eosque æternos. Medium
2.

Quod POSTERIUS attinet, ipsa subjectio Saulis istis exprimitur verbis: *Domine, quid me vis facere?* Observare jam hic licet magnam mutationem in Saulo nostro. Antea adversabatur Christo, nunc vero sua offert & quidem ultro servitia, & promptitudinē in exequendis mandatis ejus. Jam eum Dominum suum agnoscit & confitetur, eo ipso illi jus & imperiū in se concedens. Verum hæc non satis est nudè considerasse, nisi adverterimus simul etiam, unde in ipso hæc tanta metamorphosis? nempe ex Christi reprehensione ejus peccati; ut inde possimus videre luce meridiana clarius. 2. Ille ipse fructus.

*Doctrina. Re-
prehensio vitio-
rum res
est utilis
& neces-
saria.*

Reprehensionem peccatorum & vitiorum in hominibus rem esse omnino necessariam: ea namque ex hominibus immorigeris & superbis reddit eos obedientes & humiles. Quod Saul exemplo suo egregiè confirmat & illustrat: quemadmodum etiam autor epistolæ ad Hebræos *Cap. 12. v. 11.* *Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ: at postea fructum justitiæ tranquillum reddit iis qui per eam fuerint exercitati.* Atqui hæc fuit causa, cur Paulus Tito jubet auditores suos reprehendere, *Tit. 1. 13.* *Dixit quidam ex ipsis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, male feræ, ventres pigri. Testimonium hoc est firmum: quam ob causam eos redarguito præcisè, ut sani sint in fide.* Si quis exempla desiderat, consideret vel illud Ephraimi, quem Deus castigatum audivit condolentem sibi & dicentem: *Castigasti me, ut castigarer tanquam vitulus non assuetus: converte me, ut convertar, quia tu es Jehova Deus meus. Nam postquam conversus fuero, pœnitebit me, & postquam ostensum fuerit mihi, applaudam femori: erubesco etiamque suffundor rubore, quod feram opprobrium pueritiæ meæ, Jerem. 31. v. 18. 19.* Quæ verò utilitas, dices, ex ejusmodi reprehensionibus? Sane magna. Nam hac ratione lucratur proximum nostrum, attestante ipso Domino, *Matth. 18. v. 15.* *Si peccaverit in te frater tuus, ito, & argue eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* *Ista autem fratris*

fratris nostri lucratio fructum adfert duplicem:

1. *Respectu illius*, qui exorbitat & redarguitur, quia ad salutem reducit, & inferno liberatur, *Jac. 5. v. ult. Fratres, si quis inter vos aberraverit à veritate, & converterit eum quispiam, sciat eum qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, servaturum animam à morte, & operturum multitudinem peccatorum.* 2. *Respectu aliorum proximorum.* Nam hoc modo non tantum scandalum tollitur, *1. Cor. 5. v. 13. Tollite istum improbum ex vobis ipsis*: verum etiam periculum, ne alii inficiantur. Nam scabiosa ovis totum gregem inficit, nisi removeatur: quam ob causam Paulus loco *1. Cor. 5.* citato, jubet incestuosum illum ejicere, ne tanquam fermentum totam massam Ecclesiæ Corinthiæ fermentaret. Homines sunt pomis similes, quæ facile omnia putredinem contrahunt, quod si vel unum computruerit.

Utilitas
ex reprehensione
peccatorum
proveniens
est duplex: 1.

Ejusmodi vero utilitatem causatur & producit non sola illa externa reprehensio, nisi quatenus est causa externa ministerialis: verum causa vera efficiens est actio Dei interna, qui, cum externè homines reprehenduntur, internè corda nostra tangit & immutat. Nam alioquin multi sunt, qui nullis reprehensionibus nec redargutionibus ad meliorem redigi possunt frugem. Quos Deus interne non emollit luto sunt similes, quod eo magis durefcit, quo fortius à Sole excalefit. Talis fuit Pharaó, qui quo magis in-

Ratio.

gis in-

gis increpabatur, cur non dimitteret populum Dei, eo magis se indurabat, *Exod. 7. 16. Obfirmatum est cor Pharaonis, ita ut non auscultaret illis: quemadmodum prædixerat Jehova: nempe v. 6.* Tales fuere etiam Judæi, qui quo magis affligerentur, eo plures addebant transgressiones; quo nomine etiam reprehensi fuere, *Esa. 1. 5. Quamobrem quo percutimini amplius augetis apostasiam?*

*Ufus
Hortat.*

Usum hujus doctrinæ ipse Spiritus S. elegantissimè proponit, *Hebr. 12. v. 5. 6. 7. 8. Fili mi, ne parvi facito castigationem Domini, neque animo frangitor, quum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem quemcunque filium agnoscit. Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis exhibet ut filiis: quis enim est filius, quem non castiget pater? quod si estis absque castigatione, cujus participes sunt omnes, nempe supposititii estis, non filii.* Summa huc redit; ne contemnamus reprehensiones, quod ii faciunt: 1. *Qui se non corrigunt, uti Pharaon.* Nam omnis reprehensionis hic debet esse finis, ut correctio fiat & emendatio erroris: quem finem qui non vult assequi, contemnit correctiones. 2. *Qui dum corripuntur, murmurant, indignè & impatienter ferunt, torvo vultu aspiciunt, irascuntur, & odio ministros Dei propterea prosequuntur.* Verum tales scire debent, signum hoc esse hominum impiorum, & eorum qui se non humiliant. *Quam ob causam rectè urbis*

*Signa
eorum qui
reprehensionem
contemnit*

1.

2.

compa

comparari possunt, qui à magistris suis, si quando percutiuntur, murmurant. Ob eandem rationem eos David confert cum arbore lauro, *Psal. 37. 35. Vidi improbum magna vi erumpentem, & sese explicantem tanquam arbor laurus virens.* Recte: uti enim hæc arbor in ignem coniecta, strepitum quendam excitat, quasi indignè & impatienter ferens combustionem sui: ita impii castigati & reprehensi impatientes esse solent. Ut autem ejusmodi correptiones magnificiamus, non tantum nobis obversari debet earum utilitas, sed etiam hæc sequentia: 1. *Primo* Mediura *damnum, quod accipiunt contemptores reprehensionis. Similis est eorum conditio illis, qui etiam præmoniti non cavent sibi à periculo quopiam.* 2. *Exempla sanctorum:* ut Davidis, qui ait, *Psal. 141. 5. Retundat me justus, benignitas erit: & corripiat me, unguentum erit prestantissimum.* Petri, cui Paulus in os obstitit, *Gal. 2. 11.* nec tamen eum propterea legimus Paulo succensuisse. 3. *Quod quemadmodum acceptatio castigationis est signum amoris, eruditionis, ita contemptus illius, indicium stultitiæ, Prov. 11. 32. Qui amat eruditionem, amat scientiam, qui verò odit correptionem, brutus est.*

DE POSTERIORE.

Quærenti Saulo quid facere debeat, jam Dominus II. Quid Dominus Saulo præcepit? respondet & dicit: *Surge & ingredere urbem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Mandat illi, ut eat ad Ananiam. Quanquam Domi-

Dominus potuit eum statim illo tempore immediatè edocere voluntatem suam, & res facras, tamen non facit hoc, sed remittit eum ad Ananiam: hoc facto suo commendans nobis ministerium Ecclesiæ suæ. Ab hoc discere debemus res ad salutem necessarias: quia est medium ideo ab ipso Domino institutum.

Doctrin.
Dominus
illos nun-
quã dese-
rit, quos
semel in
patroci-
nium su-
scepit.

Præterea consideremus hic etiam, Dominum nunquam illum deserere, quem semel in curâ & patrocinium suum suscepit: verum ducit, docet, instruit & consolatur. Non dereliquit Saulum, qui se illi subjecerat: quin potius instruit, quo sciat, quid facere eum conveniat.

Et quid illustrius exemplo Abrahami? nam postquam se totum Deo commisit egressus è terra sua, ab eo benignissimè porro dirigebatur: unde tot Dei cum eo colloquia & apparitiones leguntur, adeo ut eandem suam curam cum ejus posteritate continuaverit; quod ab eis toties intelligi voluit, quoties diceret se esse Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi.

Cura Dei
circa fi-
deles duæ
partes.
1. Pars.

Hujus divinæ circa fideles curæ duæ sunt partes: 1. *Primo* enim curam eorum agit respectu vitæ temporalis, subministrando eis res necessarias. Dico autem necessarias: nã hæc cura circa fideles non consistit in superfluitate rerum externarum; siquidem frequenter infidelibus & impiis eæ abundantius conceduntur quam piis, qui tamen infinito modo sunt impiis feliciores, majoremque Dei circa se curam habent. Un-
de jam

de jam satis liquere potest, quomodo ei conscientia sit satisfaciendum, quæ sibi scrupulum movet & quærit, quomodo Deo sit curæ, quum se non videat rebus temporalibus abundare. Magna enim est ejus circa te cura, quod tantum habeas, quantum necesse. Atqui hanc ob causam, licet Judæi in deserto conquerebantur de Dei providentia & cura, ita ut reditum in Ægyptum meditarentur: tamen Deus dicit eis abundanter fuisse provisum, *Psal. 81. 11. Ego sum Jehova Deus tuus, qui feci ut ascenderes e terra Ægypti: dilata os tuum, & impleturus sum illud.* Quod autem Deus abundantiam non dat, ex eo ipso apparet, eam illis non esse necessariam: Deus enim multo melius novit, quibus opus habeamus, quam nosmetipsi. Dices porro; sed multi premuntur magna calamitate & necessitate, paupertate, fame, siti, &c. Respondeo, nec illi quicquam possunt conqueri de Divina cura. Quis enim fame periit ex iis quos Deus amat? uti eleganter & verè David ait, *Psal. 37. 25. Puer fui, etiam consenui: sed non vidi justum ita derelictum, ut semen ejus quæreret panem.*

Casus
Consciencie
I.

Casus 2^{us}

2. Altera pars curæ illius extendit se ad vitam spirituales & æternam: nam hic etiã illis suppeditat omnia necessaria. Hinc Petrus 2. p. c. 1. v. 3. ait: *Divina vis Dei omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent, per agnitionem illius qui vocavit nos ad gloriam ac virtutem.* Ideoque

2. Pars

Ideoque vere illi sunt divites, teste Paulo 1. Cor. 1. v. 5. *Gratias ago Deo meo semper de vobis. quod in omnibus ditati sitis in ipso, omni loquendi facultate, omnique cognitione.* Hoc autem fluit ex æterna ejus prædestinatione, qua apud semetipsum constituit eos quos decrevit glorificare, primo vocare, deinde justificare, ac tandem gloria æterna donare. Atque hæc sunt illæ divitiæ de quibus illis prospicit, quos in tutelam suam recipit.

Ratio 1. Cujus rei causæ sunt istæ: 1. *Quia æterna est ejus gratia, amor, & benignitas: quos semel dilexit, non potest non diligere in æternum, Job. 13. 1. Christus cum dilexisset suos illos qui erant in mundo, usque ad finem dilexit eos.* Probè hoc Psaltes ponderasse videtur, qui adeo frequenter pios monet, *Psal. 118. v. 1. 2. 3. 4. Celebrate Jehovaham, quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus. Dicat nunc Israel, esse in seculum benignitatem ejus. Dicant nunc qui sunt ex familia Aaronis, esse in secula benignitatem ejus. Dicant nunc timentes Jehovahe, esse in seculum benignitatem ejus.* Vide etiam Psalmum 136. totum.

Ratio 2. 2. *Altera ratio est, quia ideo nos in gratiam recipit, ut nos ducat in vitam æternam. Quomodo ergo eos aut deserat, aut eorum non agat curam, quos ei immutabiliter est statutum eod deducere, quo illi per seipsos venire non possunt. Quemadmodum si quis se alicujus itineris ducem præbeat, eo animo ut eum usque ad lo-*

ad locum destinatum deducat, is certe nulla ratione clientem suum deserere potest, quin id exsequatur, quod sibi proposuerat. Atque hæc est etiam causa, cur Christus vocetur dux & consummator fidei nostræ, *Hebr. 12. v. 2.*

3. *Tertia* ratio, ut omnibus constet de veracitate ejus promissionum. Promisit enim se nos non deserturum, *Hebr. 13. 5. Nequaquam te omittam, nec unquam te deseram.*

Agnoscamus itaque grati magnum Christi erga nos amorem, quem in ejus circa nos cura perspicere possumus. Ejus enim insignia erga nos edidit documenta. Ex eo namque quod nos ante æternitatem recepit curandos fluxit, quod in tempore è cælo descendit, carnem cum multis infirmitatibus assumpsit, multa est passus, tandem cruci affixus fuit, & mortem maledictam pro nobis sustinuit. Hanc eius curam deprædicat Paulus, *Rom. 5. 6. 7. 8. Christus quum nullis adhuc viribus essemus, præstituto tempore pro impiis mortuus est. Enimvero vix pro justo quisquam moriatur: (nam pro bono viro forsitan aliquis etiã mori sustineat:) Commendat autem suã erga nos charitatem Deus, eo quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.*

O ineffabilem consolationem, quæ inde emanat! Nam hic Dominus certe non abjiciet nos in posterum, qui tanto amore nos immeritos prosequutus est. Non abjiciet nostri curam ille, cui nos ad serviendum addiximus.

H

Cui

Ratio 3^aUsus 1.
Hortat.Usus 2.
Consolationis.

Cui nos docendos tradidimus, porro docebit donec perfectè edocti fuerimus in omni cognitione salutari. Cujus vestigia sequimur, non seducet nos. Hac consolatione David se sustentavit, *Psal. 23. toto.* Non est ille similis dominis hujus mundi, qui servorum suorum aut nullam, aut exiguam agunt curam. Itaque tuto hac consolatione ejus curæ frui possumus, modo hæc media adhibeamus: 1. Memoria repe-

Medium

1. tamus frequenter benignitatem, præterlapsis temporibus nobis jam exhibitam.
2. Ponamus nobis ob oculos ejus dulcissimas promissiones, *Esa. 43. 1. 2. Hebr. 13. 5. & alias.*
3. Orandus est Deus, ut porro favorem suum nobis exhibeat. Ita David, *Psal. 71. v. 17. 18.* Deus, docuisti me à pueritia mea, & hucusq; indicavi mirabilia tua. Quare etiam tantisper dum senex & canus sum, Deus, ne derelinquas me: donec indicavero brachium tuum huic generationi, omni venturæ generationi fortitudinem tuam.

V E R S U S VII.

(*Viri autem illi qui cum saulo iter faciebant, constiterunt muti, audientes quidem ejus vocem, neminem autem conspicientes.*)

E X P L I C A T I O.

IN hoc versu Lucas agit de testibus miraculose illius visionis. Duo autem de illis proponit:

1. Quinam illi fuerint?
2. Quid egerint?

Hoc habemus *vers. 7.* in his verbis: *Viri autem illi, qui cum Saulo iter faciebant.* Erant hostes Christi: nam erant illi Sauli comites, quæ Hierosolymis usque fuerant comitati, ne esset solus, & ut eo facilius propositum suum exsequeretur. Facile autem est colligere, eos plures fuisse; ut inde notemus, semper complures inveniri hostes Ecclesiæ.

1. Testes, qui?

O mirabilem Dei processum! ô admirandam Dei sapientiam & potentiam, qui ex hostibus etiam scit & potest facere sibi testes! Viri illi, comites Pauli non alio profecti fuerant animo, quam ut eum juvarent ligare discipulos Domini: sed ecce tantum abest, ut eos vincirent, - ut potius testimonium Domino Christo exhiberent. Hoc autem testimonium

*Doctrinæ
Deus alibi
quando
ex hostibus
suis
facit sibi
testes.*

exhibetur Dei veritati & Christo aliquando *immediate*, quod fecit Centurio, & qui cum eo servabant Jesum. Nam viso terræmotu, & iis quæ facta fuerant, timuerunt vehementer dicentes, *Verè Filius Dei erat iste, Matth. 27. v. 44.* Item, milites custodes sepulcri Domini, qui ex custodia venerunt in urbem, & renunciarunt primariis sacerdotibus omnia quæ facta fuerant, *Matth. 28. 11.* Aliquando *mediate*, dum præbetur bonum testimonium discipulis ejus & doctrinæ veræ, cultoribusque Dei veris. Ita Nabuchodonosor tribus juvenibus in fornacem conjectis, *Dan. 1. 25.* Respondit Rex & dixit: Ecce

*Hostes
Dei veritati
testimonium
perhibet
duobus
modis:
1. Immediate.*

2. Mediate.

video viros quatuor, solutos ambulantes in medio ignis, in quibus non est corruptio: forma autem quarti similis est Filio Dei. Tum appropinquans Nebucadnezar ad portam fornacis ignis accensa, proloquutus est & dixit: Schadrac, Meschac, & Habednego servi Dei excelsi egredimini & venite. Ita Saul Davidi testimonium exhibuit, 1. Sam. 24. 18. & c. Dixit Saul Davidi, justior es me: nam tu rependis mihi bonum, quum ego affecerim te malo. Tu enim indicasti hodie, te afficere me bono; qui quamvis dederit me Jehova in manum tuam, tamen non occidisti me. Ita Judæi Romani Paulo: Act. 28. 21. Judæi vero dixerunt Paulo: Nos neque litteras accepimus de te ex Judæa: neque adveniens quisquam fratrum annuntiavit aut loquutus est aliquid de te mali.

Ratio.

Quod autem ita etiam hostes veritati testimonium dent, non mirabimur si consideraverimus unde hoc proveniat & in quem finem. Primo enim Deus vult manifestum reddere se habere in manu sua etiam hostes; ita ut cum illis possit facere quæcunque vult, illi vero quicquid imperaverit, necesse habeant exsequi promptissime. Quod Salomō de Regibus dixit, nos optime ad hostes Dei accommodare possumus: *Prov. 21. 1. Ut rivi aquarū, sic animus regis est in manu Jehovæ, quocunq; vult inclinat eum.* Sunt instar baculi vel virgæ in manu hominis, qui illa flectit quo vult. Et sane quomodo Deus hostes suos in manu habeat multa jam experientia nos docuit. David *Psal. 2. 8.* aperte ait, *Jehova, per-*

Da. percussisti omnes inimicos meos maxillam, dentes improborum confregisti. Itaque etiam si Saul mittat servos suos ad comprehendendum Davidē, tamen Deus ita eos impedit, ut potius prophetizent, 1. Sam. 19. 20. Misit Saul legatos ad capiendum Davidem; & vidit quisque congregationem prophetarum prophetantium, & Samuelem stantem, qui præerat illis: tunc invasit legatos Saulis Spiritus Dei, ut more prophetico agerent ipsi quoque.

Deinde, altera ratio est, ut mundus eo facilius recipiat Christum & ejus Euangelii puritatē, cui ipsi hostes etiam reddunt testimonium. Facilius illis adhibemus fidem, qui sunt à partibus nostris, quam adversariis. Si Petrus aut alius quispiam: Apostolorum sacerdotibus Hierosolymitanis nuntiasset resurrectionem Christi, potius fuissent accusati furati cadaveris, quam eis creditum fuisset. Quia vero id significarunt milites, facile fides illis habita. Ita etiam senatus Hierosolymitanus facilius acquievit consilio Gamalielis, quam si quis alius idem consulisset. Quocirca sane mirum est, cum hodie tot extent testimonia ipsorum adversariorum, doctrinæ Christi, (vivunt enim inter nos & conversantur nobiscum) quod eam non acceptent, sed rejiciant.

Postrema ratio ipsos adversarios respicit. Procedit enim hoc ex victoria, quam de illis obtinet veritas. Nam illa victi, qui omnino præfractæ non sunt malitiæ, coguntur id loqui

quod res est. Quum aliquando quidam à primariis Sacerdotibus & Pharifæis mitterentur ad capiendum Dominum, tantum abest ut eum comprehenderent, ut potius reversi renuntiarent id quod audiverunt, dicentes: *Nunquam ita loquutus est homo ut homo iste, Joh. 7. 46.*

Ufus
Consolatorius.

Regula.

1.

Utinam vero nos hæc probè infigamus memoriae nostræ! Nam in eo, quod illi sint in manu Domini, ineffabilis consistit nostra consolatio. Quod si enim ejus divina feret voluntas, cogentur ejus veritati quam nos sequimur, ipsi exhibere testimonium; imo illis ipsis, quos persequuntur. Quo facit id, quod in lanienis Gallicis perquam multi à crudelibus mortibus servati fuerunt, hinc atque inde absconditi ab ipsis adversariis, & quidem etiam personis Ecclesiasticis, ut Canonicis & Sacerdotibus. Hoc insigne fuit veritati datum testimonium. Neque vero hodie est abbreviata manus Domini & amor erga suos fideles. Idem faciet nobis, si opus erit, modo horum duorum meminermus: 1. *Ita nos geramus, ut nihil habeant quod reprehendant, imo ut necesse habeant commendare bonam nostram conversationem, quæ est veræ fidei fructus infallibilis. Fides enim per charitatem est efficax. Hoc est mandatum ipsius Domini, Matth. 5. 16. Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem illum vestrum, qui est in cælis. Apostoli: 1. Pet. 2. 11. Dilecti, precor ut tanquam*
inquilini

inquilini & advenæ, abstineatis à carnis cupiditatibus, quæ militant adversus animam, conversationem vestram habentes honestam inter Gentes: ut pro eo, quod obloquuntur vobis ut facinorosis, ex bonis operibus quæ spectarint, glorificent Deum die visitationis. Nec id mirum videri debet, quod Christiani ita sedulo moneantur. Sunt enim lucernæ expositæ ut aliis luceant; non debent ergo esse tenebræ. Speculæ sunt in patenti campo; clamandum ergo vita honesta, ut omnes videndo audiant. 2. Deus etiam orandus est, ut dignetur illorum oculos illuminare.

DE POSTERIORE.

Jam quid egerint illi testes oculati hujus visionis, Lucas ostendit his verbis: *Constiterunt muti, audientes quidem ejus vocem, neminem autem conspicientes.* Ubi duo consideranda: 1. Propositio ipsorum gestus. 2. Causæ hujus. Quod prius attinet, illud est in verbis, *constiterunt muti.* Constiterunt ergo, neque ulterius sunt progressi. Deus illos ista improvisa visione inhibuit, & ostendit;

Malitiam hostium ulterius non posse progredi, quum eam Deus ulterius non permittit serpere: oportet, consistat etiam in medio itineris cursu. Furiosissimi etiam adversarii obstupescunt & consistunt. Similes sunt equis cursum trahentibus, quos auriga etiam in celerissimo cursu impedire potest & facere ut consistant. Aut horologio, quod silebit, si ademeris

II Testes
quid egerint?

I. Propositio.

Doctrina
Malitia
hostium
non potest ulterius serpere, quæ
Deus permittit.

ei pondera. Expende quomodo inhibitus fuit Pharao in mari rubro: & Sennacherib in oppugnatione Hierosolymorum.

Ratio.

Hujus autem rei ratio est manifesta: nihil enim possunt facere, nisi quod eis Deus permittit. Id clare docet historia Jobi; *Cap. 1. 11. 12.* Satanus nihil potuit, mali inferre illi Sancto viro, sine permisso divino, ideoque dicit: *Mitte, quæso manum tuam, & attinge quæcunque sunt ei, nisi in os tuum maledicturus sit tibi.* Itaque dixit Jehova Satanae, *ecce quæcunque sunt ei, in manu tua sunt; tantummodo in ipsum ne mittito manum tuam.* Mala etiam subsunt Divinæ providentiæ; & quidem ita, ut ea Deus non tantum permittat, sed etiam dirigat, atque malitiæ hominum certos præscribat limites. Nec tamen ideo causa peccati & autor esse statuitur. Vitiosæ enim actionis autor non est nec esse potest.

*Usus
Consolatorius.*

Quod iterum insignem in se continet consolationem. *Quæres; Quomodo hoc Deus facit, quomodo malitiam eorum impedit? Respondeo,* aliquando per mortem tyrannorum. Ita Hamane suspenso libertate fruuntur Judæi, *Esther 7. c.* Aliquando per mortem eorum quos persequuntur. Huc pertinet exemplum cujusdam viri pii, ex Historia Ecclesiastica antiqua, qui jamjam ab hostibus in agro fugiens deprehendendus, miraculose in coelum assumptus fuit. *Aliquando per mutationem eorum consilii, & alia, quorum illi magna est copia, media.*
Quod

Quod POSTERIUS attinet, causa cur ita constiterint attoniti redditur his verbis: *audientes quidem ejus vocem, neminem autem conspicientes.* Quū dicit vocem fuisse auditam, neminem autem visum, indigitare vult, non ab homine fuisse profectā vocem, sed divinitus emissam. Videntur autem hæc verba nonnihil discrepare ab illis, quæ de eadem visione habentur, *Actor. 22. 9.* Porro qui *mecum erant lucem quidem conspexerunt, & expavesacti sunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum.* Quidam existimant esse mendum, & librarii inscitia transpositam esse negationem. Verum nobis solutio hujus difficultatis perplacet quam adfert Princeps Theologorum incomparabilis, qui ait: *Fieri potest, ut audierint quidem vocis sonitum, non tamen discernere, vel quis verba faceret, vel quid diceretur.* Vocem, inquit, non audiebant loquentis mecum; certe nihil significat, quam sermonem Christi sibi uni fuisse cognitum. Inde non sequitur, quin aliorum aures vox obscura & ambigua ferre potuerit. Itaque per vocem hoc loco intelligit vocem aliquam indistinctam; uti *Joh. 12. 29.* *Venit ergo vox è cælo dicens; Et glorificavi & glorificabo rursus. Turba ergo quæ adstabat, & audierat, dicebat tonitru esse factum.*

Ex hoc loco perspicere possumus, quam miser sit homo: utpote qui ad solam Christi vocem expavescit & attonitus consistit! Est pulvis & cinis. Similis arbori, quæ tremit cum

2. Causa

D. Calvinus.

Doctr.
Homo
peccator
adeo est
miser, &c.

*ad solam
vocem
Christi
expave-
scat.
Ratio.*

tonat. Ita Pharao timebat sibi quum videret plagas Ægyptiacas: & populus Israëliticus ad montem Sinai accipiens legem.

Neque mirum est: tanta enim est Dei majestas, & tantam homo ferre nequit: tanta gloria, ut homo plane obruatur ea. Hinc *vocatur Deus ignis consumens, Hebr. 12. v. ult.* Ipsius Dei verba sunt, quibus Mosi petenti videre ejus gloriam respondet, *Exod. 33. 18. 20. Non posses videre faciem meam: quia non potest me homo videre & vivere.* Hanc Dei majestatem Propheta describit, *Esa. 6. v. 2. 3. Seraphim astantes superne erant ei, senis alii unusquisque: quarum binis tegebat faciem suam, & binis tegebat pedes suos, ac binis volabat. Et clamans alter ad alterum dicebat: Sanctus, Sanctus est Jehova exercituum, implet totam hanc terram gloria ejus.*

*Usus Re-
prehensio-
nis.*

Pudeat ergo omnes homines elati supercilii, qui adeo superbiunt ut se deos putent: nimium de se sentiunt, plura sibi quam debent adscribunt. Verum ô miseri, si Deus vos vel uno verbo alloquetur, expavescetis, & attoniti imo muti consistetis. Unde vero hoc in illis, quod ita animo efferantur? 1. *Ex eo*, quod non considerant quis & qualis est Deus; neque quid & quales illi ipsi sunt. Deus est eorum creator, illi creaturæ, & quidem ob lapsum miseræ. Ille is est, de quo Paulus ait, *Hebr. 10. 31. Horrendum est incidere in manus Dei vivi.* Ille is est, cujus vox confringit cedros, & cædit flammæ ignis,

*Impedi-
mentum
1.*

ignis, &c. *Psal. 29. 5. & seqq.* Homo autem quid est? gramen & bulla. 2. *Ex eo, quod non considerant se esse obnoxios iisdem casibus quibus alii. Non dicunt, homo quum sim, nil à me humani alienum puto. Nec meminerunt illius: Quemcunque hominem videris, miserum esse scias: usque adeo quidem, ut Psalmista à conditione mortalium nec deos terrenos eximat, Ps. 82. 6. 7. Dii quidem estis, & filii excelsi vos omnes. At certe ut plebejus homo morituri estis; etiam sicut unus aliorum principum casuri estis.*

VERSUS VIII. & IX.

Surrexit autem Saulus è terra, apertisque oculis suis neminem videbat; manu vera ductum eum introduxerunt Damascum. Fuitque tribus diebus non videns, & non edit neque bibit.

EXPLICATIO.

Septimus versus fuit insertus tanquam per parenthesis. Jam ergo Lucas ad Saulum, quem Dominus versu sexto jusserat surgere & ire in urbem. Heic autem duo sunt:

1. *Quomodo se Saul gesserit ad mandatum Domini?*
2. *Proponitur ejus misera conditio, in quantum fuit constitutus.*

DE PRIORE.

Præbuit se Domino obsequentissimum: Surrexit enim è terra & abiit ductus manu in urbem. Jam non repugnat amplius, nec quidquam præ- *I. Ut se gessit Paulus.*
tendit ne iret; nullas difficultates objicit, sed surgit & abit.

Atque

Doctrin. Atque in eo habemus depictum ingenium
Fideles & naturam liberorum Dei & Christi discipu-
Deo ejus- lorum: quod est obedientem esse ejus verbo.
que ver- Vide Petri exemplum, qui licet per totam no-
bo obe- ctum se fatigaret & nihil caperet, tamen ex
diunt. jussu Domini demisit rete, *Luc. 5. 5.* Abrahami,
Gen. 22. 2. 3. Dixit Deus: *Assume nunc filium tuum,*
unicum tuum quem diligis, Isaacum, & abi in regio-
nem Moria, & offer eum ibi in holocaustum, super
uno illorum montium quem dixero tibi. Mane itaq;
surgens Abraham, eodem matutino instravit asinum
suum & assumpsit duos pueros suos, & Isaacum filium
suum, &c. Obedientia autem illa, quam Deus
 requirit à nobis duplex est; Activa & Passiva.
Activa in eo consistit, ut homo faciat omnia
 quæ Deus mandat, cujus exempla jam produ-
 ximus. *Passiva* vero in eo, ut ferat omnia quæ
 Deus immittit: hoc fecit Isaacus: & *Job, c. 1. 21.*
dicens; Nudus exivi ex utero matris meæ, & nu-
du redibo illuc, Jehova dedit, & Jehova recepit: sit
nomen Jehovæ benedictum. Eli, 1. Sam. 3. 18. Jehova
est, quod bonum videtur in oculis suis faciat. Alii
fideles, qui dicunt, Rom. 8. 36. Tui causa occidimur
totum diem; reputati sumus velut oves destinatæ
maçtationi.

Quid, & Quod si roges, quomodo & quid Deus man-
quomodo dat? *Respondeo* cum hoc nunc non facere per
Deus extraordinarios servos, uti antea faciebat per
mandat? Prophetas: nec per visiones, aut somnia, nec per
 anabaptistarum enthusiasum: sed *1. In ge-*
vere

vere per Verbum suum, in quo nobis voluntatem suam revelat. Unde voluntas Dei revelata recte vocatur. Nec male aliquis Patrum dixit: Quum Deum precamur, loquimur cum eo: quum autem Sacras Scripturas legimus, Deus nos alloquitur.

2. *Per Decalogum*, qui ideo præcepta Dei & mandata vocatur. Ibi enim mandat nobis officia omnia, tam sibi debita quam nostro proximo: & quidem ita, ut observatoribus & obedientibus multa bona promittat, *Deut. 28. &c.* 2.

3. *Per Evangelium*, cui credere jubet, id est, fiduciam collocare in semine illo benedicto. Hoc jubet non tatum in Novo Testam. cum dicit, *Marc. 1. 15. Credite Evangelio*; sed idem etiam requirebat in V. & id quidem, duobus modis: 1. *Implicitè*. 2. *Indirectè*. *Implicitè* in vaticiniis de Christo; quale fuit: *Semen mulieris conteret caput serpentis*. Ubi hoc debebat subintelligi: vos in semen illud credetis, & in eo spem vestram collocabitis. *Indirectè* autem per legem. Cum enim intelligerent se non posse servari per eam, eo quod illam perfecte non possent implere, ad gratiam per mediatorem implorandam & fiduciam in eo collocandam impellebantur. 4. *Per res adversas*, in quibus jubet in se sperare, *Psal. 37. 3. Confide in Jehova, & fac bonum*. Orare: *Pf. 50. 15. Invoca me tempore angustiae, eripiam te, ut honore afficias me*. Jubet quoque patientiam, *Abac. 2. v. 3. Si cuncta* 3.

cunctabitur expecta eum: nam omnino veniet & non tardabit. Sic Jac. 5. 7. & seqq. Et perseverantiam, Apoc. 2. 10. *Habebitis afflictionem dierum decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 5. *Per ministerium Ecclesiasticum.*

5. *Ministri enim sunt vox Dei, lingua Dei. Imò non illi sunt qui loquuntur, sed Spiritus Patris eorum, Matth. 10. 20.* Itaque eorum verbis obedientia omnino præstanda, uti hortatur Paulus, Hebr. 13. 17. *Obedite ductoribus vestris & obsecundate: excubant enim ipsi pro animabus vestris tanquam rationem reddituri.* Verum non omnibus eorum verbis: sed tum quum loquuntur ut eloquia Dei, 1. Pet. 4. 11. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* Atque in his partibus consistit vox & mandatum Dei, cui fideles libenter obedientiam præstant ideo:

Ratio. Quia sciunt hoc esse eorum officium, quo illi devincti sunt. Ita Saul se ipsum obstrinxit ad id, quum dixit: *Domine, quid me vis facere?* 1. 6. Eodem modo omnes fideles ei obstricti sunt. Fundatur autem hoc officium; 1. *Injure & relatione, quæ est inter Deum & inter illos.* Nam ille est Deus, ipsi homines. Ille creator, ipsi creaturæ. Ille est Dominus, ipsi servi. Ille Pater, illi liberi. Ille Paterfamilias, ipsi ejus familia. 2. *In promissione, quæ facta est in Baptismo.* Nam baptizari nomine Patris, Filii, & Spiritus S. non tantum est baptizari jussu & auctoritate S. S. Trinitatis: verum etiam in fi-
dem,

dem, cultum, & obsequium, quod benedictæ Trinitati promittimus. Quod ergo promiserunt, cur non implerent? David suam promptitudinem satis declarat, *Psal. 116. 12. 13. 18.*

Quum igitur ea sit natura omnium fidelium, examinet seipsum quisque nostrum, an vera hac obedientia sit præditus, ne forte decipiatur, existimans se esse verè obedientem, cum tamen non sit. Nam aliquando obedientiam & quidem satis magnam præstare possunt etiam irrogeniti & hypocritæ. Certe Jehu eam præstitit, cum magno (ut ipse putabat) zelo, exsequendo judicia Dei in domo Achabi, & destruendo sacrificulos Baalis, quum interim esset hypocrita, *2. Reg. 10. 29. 31.* Alexander etiam eo progressus fuit, ut in causa Christi persecutionem pateretur, *Act. 19. 33.* Attamen quod hæc obedientia passiva in eo non fuerit vera, ex eo apparet, quod fecerit naufragium fidei, *1. Tim. 1. 19. 20.* & *2. Tim. 4. v. 14. 15.* Historia Ecclesiastica meminit quoque hæreticorum quorundam, qui ultro martyria subibant & ea quærebant. Signa autem veræ regenitorum obedientiæ sunt ista: 1. *Sinceritas* & veritas, quæ hypocrisi opponitur. Requirit vero sinceritas à te: 1. *Ut obedias* Deo verè, non apparenter: ut probus sis, non ut esse videaris. Alioquin fuerit bulla turgida sed inanis. Neque ore dicendum est cum illo filio, eo Domine in vineam, & non ire, *Matth. 21. 20.* sed ipsa re quod Deus jubet.

exsequis

Ufus
Institu-
torum.

Signa
veræ obe-
dientiæ;
1.

exsequi. Tales sunt illi, quos David, *Psal. 119. 20* beatos pronuntiat: *Beati custodientes testimonia ejus, ex toto animo quærentes eum. 2. Ut obedias Deo propter solam nominis Dei gloriam, non autem propter aliquod bonum tuum privatum. Observatio Dei præceptorum, quærit Deum, non seipsum. Quocirca turbæ illæ Deo non obediebant sincerè, quibus Christus dicit: Quæritis me propter panem, Joh. 6. v. 26. Neque Saul, qui obedientiæ suæ habuit scopum, Regnum Judaicum; nec Jehu, qui obsequendo voluntati Divinæ & extirpando domum Achab, suum stabiliebat regnum. 2. Alterum veræ obedientiæ signum est, universalitas mandatorum Dei: non enim unum, aut quædam tantummodo mandata Deus à nobis servanda cupit, sed omnia. Exemplum est in Davide, qui ait *Psal. 119. 6. Tunc non erubescam, quum intuebor in omnia præcepta tua.* Et quanquam ea à nobis nequeant in hac vita impleri perfecte ratione graduum, tamen ratione partium saltem veræ obedientia ea implet. 3. Tertium est, constantia, Non sufficit incipere, sed opus est perseverare. Nam finis opus coronat. Ideoque Deus perseverantibus promittit vitam æternam. Hoc sæpius inculcabant Apostoli: Barnabas monet Antiocheneses, *Act. 11. 23. Barnabas cum eo advenisset, & audiisset gratiam Dei, gavisus est, & hortatus est omnes, ut proposito cordis permanerent cum Domino.* Cum eo Paulus, *Act. 13. 43.**

2. Sign.

3. Sign.

Multi

Multi cum Galatis incipiunt bene currere, sed postea desinunt. Talium obedientia similis est amori Sauli erga Davidem, & rori matutino, qui sole incalescente evanescit. 4. *Postremum* 4. *Sign.* est in eo, quod semper & in omni loco ea est servanda: non tantum in præsentia eorum, quos aut timemus aut reveremur: sed etiam tum, quum videmur posse peccare impunè. Eo nomine commendantur Philippenses, *cap. 2. v. 12.* Proinde, dilecti mihi, prout semper auscultastis, non ut in præsentia mea solum, sed nunc multo magis in absentia mea, cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite.

Atque hæc sunt, signa veræ obedientiæ, *Quid nos excitare debet ad obedientiam?* quam etiam nos Deo præstare debemus, excitati istis argumentis: 1. Quia habemus Dominum perquam benignum, liberalem, ad iram tardum, ad benefaciendum promptissimum. 1. Scit ille obedientiam hanc recompensare, uti etiam promittit, *1. Tim. 4. 8.* Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ. *2. Cor. 7. 1.* Has igitur promissiones quum habeamus, dilecti, purificemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ad finem perducentes sanctimoniam: in timore Domini. *Hebr. 5. 9.* Christus factus est auctor salutis æternæ omnibus ei auscultantibus. Hoc apparet in exemplo Abrahami, *Gen. 22. v. 16. 17. 18.* Deinde 2. Cogitemus nihil esse in mundo, quod Deo magis placeat, quam talis obedientia: inde Samuel ad Saulum *I* inquit,

inquit, *1. Sam. 15. v. 22. An delectatur Jehova holocaustis & sacrificiis, ut quum auscultatur voci Jehovæ? ecce auscultare est melius sacrificio, attendere, adipe arietum.* Atque hæc est ratio, cur a deo frequenter ad eam à Spiritu Sancto vocemur.

3. Meminerimus etiam damni quod accipiunt inobedientes Deo, sunt enim servi peccati ad mortem, *Rom 6. 16. 21.* Saul etiam regnum amisit ob inobedientiam suam, *1. Sam. 15. 26.* Tandem 4. Semper habeamus ob oculos minas & ultionem inobedientiæ, quam etiam Paulus proponit, *2. Thess. 1. 8. Cum igne flammante instigans ultionem iis, qui Deum nesciunt. neque auscultant Evangelio Domini nostri Jesu Christi.* 5. Cogitemus etiam obedientiam illam, quam Deus à nobis postulat, non ad Dei aliquod commodum, sed ad nostrum spectare, *Job. 22. 2. An Deo forti prodesse potest vir? quum prodest, ex eo prosperratur Deus? Sic, cap. 35. 6. 7.*

DE POSTERIORE.

II. *Miseria Pauli conditio.* Jam quod attinet miseram Sauli conditionem, ejus duæ sunt partes: 1. Quod fuerit cæcus. 2. Quod a deo fuerit expavefactus, ut per triduum nihil comederit nec biberit.

I. *Quod fuerit cæcus.*

I. *Propositio.*

PRIVS quod attinet, illud iterum, 1. Proponit. 2. Exaggerat. PROPOSITIO est in verbis: *Apertisque oculis suis neminem videbat.* Cæcus factus est ergo. Magnus sane defectus: nec scio quid miserius eo homine, qui lucem videre non potest. Hinc crudelissimi quidam tyranni

tyranni nonnullis oculos eruebant, quos maxime affligere volebant. Idem accidit Samsoni à Philistæis. Sed *dices*: Atqui Saul fuit jam vas Dei electum: quî ergo fit, quod Deus tantum malum & afflictionem ei immisit? Sed *respon-*
deo, non est quod te hoc moveat.

Nam externi illi eventus & afflictiones ac-
cidunt hominibus etiam piissimis: uti Jobo,
Abrahamo, Jacobo, Davidi, & quis Sanctorum
fuit absque gravibus afflictionibus? Quocirca
rectè Salomon ait, *Eccl. 9. 1. Etiam amorem, etiam*
odium nescit homo. Qui locus non hoc vult,
quasi homo fidelis & electus simpliciter aut
nesciat, aut dubitet de amore Dei erga se, per-
tinente ad ejus justificationem & salutem: de
eo enim homo fidelis certus est: sed tantum-
modo ostendit externos eventus bonorum &
malorum, qui amoris vel odii certi indices non
sunt. Moritur tam Abel quam Cain. Jacob
quam Esau: hoc in toto suo libro explicat
Ecclesiastes.

Doctr.
Externi
eventus
& affli-
ctiones
accidunt
etiã piis-
simis ho-
minibus.

Neque vero id, quod externa illa mala pro-
miscue tam piis quam impiis eveniant, adeo
mirum videri debet, siquidem *primo* homines
etiam piissimi sunt homines, ejusdem cum cæ-
teris naturæ, ac proinde conditionis. Post Mo-
sen quis fuit Propheta excellentior Elia? & ta-
men de eo non dubitavit Jacobus affirmare,
cap. 5. v. 17. Fuisse hominem iisdem quibus nos affe-
ctionibus obnoxium. Quocirca Imperator qui-
dam

Ratio 1.

dam laude mihi dignus videtur, qui etiam si videret se in summo apice dignitatis constitutum, tamen hujus communis cum aliis conditionis probè meminit. Nam quum in quodam pariete suorum conclavium invenisset scripta hæc verba : Quum Adam terram foderet, & Eva colum tractaret, quis quæso tum fuit nobilis? iisque ab aliquo malevolo Zoilo se perstringi suspicaretur, adeo id modestè tulit, ut etiam piè subjunxerit: *Ego sum homo ut alii: tantummodo in eo ab iis differo, quod Deus hanc mihi dederit dignitatem & honorem.*

Ratio, 2.

*Altera est ratio, quod etiam in hominibus piïssimis inveniantur causæ afflictionum, nempe peccata: quibus illas merentur & sibi attrahunt. Si enim Deus illis immittit calamitates, qui nihil peccarunt: uti vides cæcum, Job. 9. v. 13. De quo Christus ipse ait: Neque iste peccavit, neque parentes ejus. Et in ægroto illo, de quo Jacobus c. 5. v. 15. Quod si peccata commiserit, remittentur ei; multo justius est ut illi affligantur, qui peccatis id promerentur. Habent enim in se peccatum Adami imputatum: habent etiam suum proprium inhærens, quod est in nobis fons & origo omnium malarum actionum: quo David agnovit se fuisse pollutum, licet esset vir secundum cor Dei, Psal. 51. 7. *peccatis me concepit mater mea.* Accedunt huc etiam peccata actualia, & quidem generis varii: oris, cordis, operis; omissionis, commiss-*

ionis;

fionis; quorum respectu sanctissimus David exclamat, *Psal. 40. v. 13. Assequuntur me iniquitates meae, adeo ut nequeam dispicere, numerosiores sunt capillis capitis mei.* Non est itaque mirum affligi etiam pios; nam peccatum & poena focii sunt inseparabiles, & catena adamantina colligati. Qui peccant, puniuntur necessario. Interim vero, cum pii & fideles à Deo dicuntur puniri ob peccata, hæc poena improprie accipienda est; nimirum significatione lata, quæ afflictionem aliquam significat, & speciali nomine vocatur Castigatio: non vero stricta, qua poenam pro peccatis satisfactoriam significat: hac soli infideles puniuntur, illa soli fideles. Differentia ergo afflictionis piorum & impiorum, licet sit eadem quoad materiam, tamen est longe maxima quoad finem. Nam impiis infligitur ideo, ut ab eis pro culpa satisfiat, secundum decretum Dei, *Gen. 2. 17. Quo die comederis, morte morieris.* Fidelibus vero non ideo, sed

1. Ut agnoscant quam Deo exosa sint peccata.
2. Ut discant ea fugere.
3. Ut eorum patientiã excitet & exploret.
4. Ut conformes fiant capiti Christo.

Quam ob causam, licet etiã fideles moriantur, tamen mors eorum non est satisfactio pro peccato, vel ejus expiatio, qualis est impiorum, hic incipiens & continuans in inferno: sed est tantum medium & via ad vitam: non est mors, sed umbra mortis; quia Christus eorum Salvator benignus illis in bonum

*Cur fideles castigan-
tur?*

1.

2.

3.

4.

morte sua mortem vicir, pro illisque satisfecit.

*Casus
Consci-
entia.*

Objicies: Atqui illi sunt ejus liberi, quos ipse amat: quomodo verò id fieri potest, ut eos tam graviter affligat? Estne adeo immisericors Pater? *Respondeo:* Noli te turbare ô anima fidelis & afflicta, noli: Nihil hoc derogat ejus erga te amor. Nam *primò* amor ejus non in eo consistit, ne puniaris aut affligaris in hac vita, verùm in futura: non in terra, sed in inferno. Nisi enim te hîc castiget, non es ejus filius. *Hebr. 12. v. 6. Quem enim diligit Dominus, castigat: & flagellat quemcunque filium agnoscit.*

*S. Augu-
stinus.*

Atq; ideo rectè aliquis Patrum orat: Domine, hîc ure, hîc seca: ut in altera vita parcas. Imò in eo major patris amor se exerit erga filium, si eum sæpius castiget. Castigatio enim ad bonam educationem pertinet, qualem pater filio suo dat, si eum diligit: quo respectu Apostolus ait, *Hebr. 12. 7. Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis exhibet ut filiis: quis enim est filius, quem non castiget pater?* Deinde facit id, ductus magno amore erga eos, ut illos nempe apud se retineat. Nam ut pueri petulantiores discurrunt & evagantur facilè, si frænum eis laxetur: Ita nos in prosperitate statim Dei obliviscimur, & quasi ab eo recedimus. Commodè ergo nos Deus castigationibus suis tanquam vinculis sacris apud se continet. Hoc expertus est David, qui idem confitetur, *Psal. 119. 72. Bono mihi fuit me affligi, ut discerem statuta tua.*

Quum

Quum itaque externæ illæ afflictiones eveniant tam bonis quam malis, quis est qui hominem judicare velit ex externis accedentibus? *Ufus* *135*
stunt. 10
 Potest pauperrimus & ulcerosus Lazarus esse in cœlo: & vice versa dives homo in inferno.

Prodest hoc etiam eo, ne animum abjiciamus, quoties aliquid adversi accidit: neque putemus nos à Dei facie abjectos esse; quin potius in pietate perseveremus constanter. Sustentemus nos etiam in eo his rebus: 1. *Quod* ea non nisi à Dei manu veniant, & quidem ab eo, qui Pater est tuus. Dic ergo animæ tuæ: nonne bibam calicem, quem Pater meus mihi dedit in manum? non feram crucem, quam Pater meus humeris imposuit meis? Atqui boves juga facile sibi sinunt imponi ab iis à quibus nutriuntur: imò urfi & leones patienter ferunt suos gubernatores. 2. *Quod* externæ afflictiones pinguis sunt nostræ adoptionis, *Hebr. 12. v. 6.* Unum Deus habuit filium sine peccato, sed nullum sine afflictione. 3. *Quod* Deus ea nobis non ex ira infert, nec quod ex eo voluptatem aliquam capiat, verum propter summam nostram utilitatem. Hinc Paulus ait, *Rom. 8. 28.* *Novimus autem, iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum.* Conformes nos reddit filio suo, ut postea nos ejus gloriæ quoque faciat: explorat nostras virtutes, ut aurum ignis, &c.

EXAGGERATIO vel Amplificatio est in istis verbis: *manu vero ductum eum introduxerunt* *2. Exag.*
14 *mascum.* *geratioe*

mascum. Quibus verbis confirmat simul Saulum cæcum fuisse, ita ut nihil videret, & manu ductore opus haberet.

Doctrina.
Deus res sibi contrarias scit & potest reconciliare, & ex lupo facere agnum.

Miremini auditores magnam Dei potentiam, sapientiam & bonitatem, qui res sibi contrarias potest & scit reconciliare, & lupos rapaces in mitissimas oviculas convertere. Saul ideo Damascum iter faciebat, ut inde vinctos discipulos Domini duceret Hierosolyma: verum divina sapientia consilium ejus ita invertit, ut jam ipse Damascum ducatur. Et quis idem non videt in Manasse tyranno prius superbo, deinde vero homine mansuefacto?

Uusus
Consolationis.
I.

Cur autem hoc Deus faciat jam ante quia fufe ostendimus, nunc tantum usum breviter attingemus. Insignis enim hinc exurgit consolatio *primo* hominibus qui se sentiunt gravari peccatis: *deinde* Ecclesie Dei in genere. Ne maximus quidem peccator de salute & misericordia obtinenda desperare debet, quamdiu vivit: sed dum spirat, speret. Tanta siquidem est potentia & bonitas Dei, ut eum possit convertere; quod etiam promittit, *Esa. 1. v. 18.* *Si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescent: si rubra fuerint velut coccineum, similia lana erunt.* Comprobavit hanc suam promissionem exemplo Davidis, Salomonis, Petri, Matthæi, & aliorum publicanorum, quorum mentio fit, *Luc. 15. v. 1.* Meminerit Ecclesia Dei afflicta quoque hujus Dei potentia, quæ poterit ita retundere hostes

hostes & oppressores ejus, ut ei nequeant nocere.

POSTERIUS quod attinet, quod adeò fuerit expavefactus, ut per triduum nihil comederit, illud est in verbis, *v. 9. Fuitque tribus diebus, non videns, & non edit neque bibit.* Miraculosum hoc fuit & extraordinarium jejunium: ideoq; non imitandum. Habuit ille causas gravissimas & privatas hujus jejunii, nempe quia ipsi debuit committi munus Apostolicum per Ananiam. Magna ergò & speciali opus fuit ad speciale officium suscipiendum præparatione: longo jejunio, & ardentibus precibus, de quibus *vers. 11.* habebimus.

2. Quod fuerit valde expavefactus.

Docet itaque nos exemplo suo, ut quoties ad res magnas accedimus, toties nos præparemus: quo in loco imprimis poni debet auditio verbi Dei, usus Sacramentorum, &c.

V E R S U S. X.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, ad quem dixit per visionem Dominus, Anania. Et ille ait, Ecce, ego adsum Domine.

E X P L I C A T I O.

HActenus Beatus Lucas narravit satis prolixè, quomodo Dominus ad fidem suam converterit Saulum: Porro narraturus est, quomodo idem Saul receptus fuerit in gremium matris Ecclesiæ: & in numerum ac communionem aliorum fidelium: quod factum est opera Ananiæ, cujus hoc muneris Dominus commiserat;

ferat; & id quidem per visionem, quam Lucas fuse & cum omnibus circumstantiis describit. Visionis autem istius duo sunt actus præcipui. In primo Dominus vocat ad se Ananiam. Alter continet quædam mandata Domini Ananiæ data. Primum actum habemus in hoc v. 10. & quidem ita ut proponantur hæc tria:

1. Descriptio Ananiæ.
2. Ipsa Domini vocatio.
3. Quomodo se Ananias vocatus gesserit.

D E P R I M O.

Y. Descriptio Ananiæ. Descriptio illa duabus absolvitur partibus: 1. Quod fuerit discipulus Domini. 2. Quod habitaverit Damasci.

Prior pars. PRIOR pars est in verbis: *Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias.* Omnino est credibile hunc Ananiam nonnisi ex numero communium discipulorum fuisse & credentium in nomen Domini, quorum jam Damasci non exiguus erat numerus: nihilominus tamen Domino notus fuit, & quidem ex nomine suo.

Doctrin. Dominus quælibet suis cultorem novit in specie. Novit ergo Dominus Christus quemlibet suum cultorem in specie; novit nomen ejus, novit quis & qualis est, novit ubi habitat. Et certè quidni de singulis fidelibus sciat, qui de singulis hostibus suis scit, quod exemplo hujus Sauli ostendit. Memoria ille pollet multo majore, quam quæ in Cyro Rege Persarum celebratur: qui omnium suorum militum nomina me;

na memoriter tenebat. Quis non credat ipsi Christo, qui ait *Joh. 10. v. 14. Ego sum Pastor ille bonus, & agnosco oves meas.* Quis non Paulo? *2. Tim. 2. 19. Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos qui sunt sui.* Et quidni sciat de singulis is, qui singulorum scrutatur corda? *Apoc. 2. 23. Cognoscent omnes Ecclesie me esse scrutatorem renum & cordium.* Ideoque coram singulis Asiaticis Ecclesiis protestatur hoc; *Novi opera tua, Apoc. 2. 2. 9. & c.* Novit in utero matris Johannem Baptistam, *Luc. 1. 41.* Imo Jeremiam antequam conciperetur, *c. 1. 5. Quum nondum formavissem te in utero, agnovi te, & quum nondum prodisses ex vulva sanctificavi te.* Scivit de Elia fugiente Jesabelem, *1. Reg. 19.* Hæc autem notitia, qua Christus novit fideles, non tantum est theoretica, qua novit omnes homines etiam impiissimos: sed etiam practica. Ita enim scit de illis, ut etiam prospiciat de rebus necessariis.

Fundamentum autem hujus scientiæ Christi Ratio 1. primarium quid aliud esse potest, quam Deitas. Nam quia est Deus, omniscius est. Hæc enim est proprietatum divinarum una, omnia scire. Unde Petrus non dubitavit hoc de eo profiteri, dicens, *Joh. 21. v. 17. Domine tu omnia nosti.*

Deinde vero, an is ignorabit illos, quos ipse Ratio 2. elegit, ut essent ejus discipuli? uti ipse loquitur, *Joh. 15. 16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

vos. Sic Paulus, *Eph. 1. 4.* *Elegit nos in ipso ante factum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus cum charitate.* Ejus gratiæ adscribendum est, quod simus ejus discipuli: non enim nos primi ad eum imus, sed ipse primo ad nos venit. Hoc clarum est, quia Evangelium ad nos misit, tacite innuens nos ad Evangelium non fuisse ituros. Hinc etiam Ecclesia orat, *Cant. 1. 4.* *Trabe me, & curremus post te.* Agnovit hoc Paulus, ideoque conversionem suam ejus gratiæ adscribit, *1. Tim. 1. 12. 13. 14.* *Gratiam illi habeo, qui corroboravit me, id est, Christo Jesu Domino nostro: quod me fidum duxerit, ut qui me in ministerio constituerit. Qui prius eram blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed mei misertus est. Nam ignorans id faciebam, nempe fidei expertus. Superabundavit autem gratia illa Domini nostri cum fide & dilectione in Christo Jesu.*

Ratio 3. Tertium fundamentum nobis suppeditat ipse Deus, affirmans se suos habere in memoria perpetua, *Esa. 49. 14. 15. 16.* *Quod si dicat Sion: Dereliquit me Jehova & Dominus oblitus est mei. An oblivisci potest mulier fetus sui, ut non misereatur filii uteri sui? etiam hæc oblivisci possunt: tamen ego non obliviscar tui. En in manibus sculpsi te: muri tui e regione mei versantur jugiter.*

Usus
Consolationis.

O verba consolationis plena! ô doctrinam in cordibus nostris inscribendam! Magnam inde capiunt homines delectationem, & felices se putant, si Magnatibus sunt noti; sive Imperatori

ratori, sive Regi, sive Principi. Nos ergo non letabimur, qui optime sumus noti Domino nostro, Imperatori Imperatorum & Regum, & quidem de nomine & de facie? Inde enim ineffabilia ad pios redundant bona: primo quidem, quod rebus omnibus necessariis abundant, nulla re indigent; praesertim verò in iis quae ad aeternam eorum spectant salutem. Haec consideratio adeò efficax est, ut David Ps. 23. 1. 2. in hac eruperit verba: *Jehova Pastor meus est: non possum egere. In caulis herbidis facit ut recubem, secundum aquas lenes deducit me. Animam meam quietam efficit, ducit me per orbitas justitiae propter nomen suum.* Huc etiam faciunt verba Psal 34. 10. 21. & 37. 25. Deinde, protegit nos & tuetur ita, ut hostes nostri nihil nobis possint nocere: liberat nos ab omni malo. *Quaquam enim multae sunt afflictiones justis, tamen ex omnibus illis eripit eum Jehova, Psal 34. v. 20.* Postremo, animos nobis reddit, & ita confirmat ut nihil metuamus: quia scimus eum esse nobiscum, & eum de nobis probe scire, Psal 23. 4. *Etiam quum ambularem per vallem lethalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es: virga tua & pedum tuum ipsa consolantur me.* Similia vide, Psal. 27. 1. 2. 3. & 46. 1. 2. 4. & 118. 6. *Jehova adest mihi, non timebo, quid faciat mihi homo.* Hujus autem consolationis si volumus esse participes etiam nos, oportet ut simus ejus discipuli: nam ille de aliis nescit.

Si objicias, Atqui scit etiam de impiis; respon *deco,* *Object,*

Quid boni habemus ex eo quod Christus nobiscum sit? 1.

2.

3.

Resp.

deo, quod jam supra dictum est : scit quidem, sed alio genere scientiæ, quod non est conjunctum cum paterna cura, de qua hic nobis sermo.

*Ufus II.**Dehortationis.**Seneca,*

Porro, quum Christus singulos nos novit, vehementer id nos à peccatis debet dehortari: videt ille omnia & scit quid quis agat, loquatur, imò cogitet: utpote scrutator renum & cordium. Considerarunt hoc ipsi Gentiles; hinc aliquis ait; Esse profecto Deum, qui quæ nos gerimus & audit & videt. Alter verò consilium dat, quomodo vitia possint evitari: nempe, si sibi quilibet eligat aliquem virum gravem, cujus auctoritatem revereatur, eumque semper sibi ob oculos ponat, & imaginetur quicquid agat aut loquatur, id fieri ipso præsentem & observante. Oculi Dei nostri millies clariores sunt oculo solis. Ejus oculis omnia sunt nuda; cum Sol omnia pervidere non possit: non enim ea illustrat, quæ in terræ cavernis abscondita latent. Dei verò præsentiam nemo latere potest, in cælo est, & in sepulcro adest. In extremitate maris est dextera ejus, tenebræ & nox est ei lux, ut hoc eleganter & emphaticè David explicat, *Psal. 139. 7. 8. 9. 10. 11. 12.* Breviter, ipse est totus oculus, uti totus est pes & manus.

Posterior pars.

POSTERIOR pars sequitur, in qua docet Lucas hunc Christi discipulum de nomine ei cognitum habitasse Damasci. In hac civitate quam plurimi erant hostes nominis Christiani, & quidam

dem ii furiosi; uti apparet etiam ex v. 23 24. hujus capituli: *Expletis enim multis diebus ceperunt simul Judæi consilium Paulum interimendi. Sed intellectæ sunt saulo insidiæ eorum: adservabant autem portas die ac nocte, ut eum interimere. Acceptum igitur eum discipuli nocte, per murum demiserunt fune submissum in sporta. Interim etiam ibi Deus habuit suos cultores, Ananiam, Judam, & alios complures.*

Unde certò concludere possumus, Deum habere suos cultores ubique, etiam in medio maximorum hostium suæ veritatis. Vide Ananiam inter Judæos Damasci: Paulum inter impios milites in navi: Gamalielē habuit inter senatores Hierosolymitanos: Nicodemum inter principes Judæorum: Septem millia suorum cultorum inter horrendas idololatrias, uti ipse Deus loquitur, *Rom. 11. 4. Feci ut remanserint mihi septem millia virorum, qui non flexerunt genu imagini Baalis.* Habuit etiam in crassissimis Antichristi tenebris hîc atque illic nonnullos veritatem puram amplectentes. Idem hodie videmus in multis regionibus: videmus navim inter fluctus & procellas, ovem inter lupos. Quod quicumque considerat, necessario exclamat: ô Domine, quam mirabilis es in tua potentia! & oportet ut fateatur, Ecclesiam uti non colligi nisi à Deo, ita etiam nonnisi ejus providentia gubernari & conservari.

Vult autem Deus cultores suos habere etiam in me.

*Doctrina.
Deus
habet
suos cul-
tores ubi-
que etiã
in medio
hostium.*

Ratio.

in medio inimicorum, vel adversariorum suarum
 1. veritatis ideo: 1. Ut persecutores ejus pude-
 faciat, & exerat potentiam suam, quæ tanta est,
 ut possit efficere, quo ejus cultores inter ipsos
 tuto vivere queant, nolentibus, volentibus ipsis
 Imò ita ut illi hoc opus Dei impedire vel inhi-
 bere nequeant: quocirca frustraneam esse eo-
 rum oppositionem. Nabuchodonosor omni-
 no cultores Dei in populo suo ferre volebat:
 Deus verò eum confudit miraculosa conserva-
 tione trium juvenum in fornace ignea, ita, ut
 dein' consilium suum mutaret. Idem proposi-
 tum habuerunt omnes persecutores semper,
 nempe extinguere omnes (ut vocant) hæreti-
 cos: at nîl aliud effecerunt, quam quod jam
 experientia sint edocti, quod prius ex consiliis
 addiscere noluerunt: nimirum Deum posse
 suos cultores habere in medio ipsorum.

Ratio 2.

Altera est ratio, ut illis præcidatur hac ra-
 tione omnis excusatio, quam prætere posse
 sent, quasi nescirent veritatem, ideoque vult
 Deus suos habere inter illos tanquam lumina
 clara & eos illustrantia. Quocirca, uti certum
 signum est horridæ noctis, occasus Solis: ita
 etiam piorum hominum è medio impiorum sublatio,
 certum indicium est imminentium divinarum
 pœnarum. Nam uti hic mundus piorum causa
 conditus est, ita eorundem gratia conservatur.

Ratio 3.

Tandem, ut illis det occasionem ad Deum se
 convertendi. Docet hoc Petrus, 1. Pet. 2. v. 11. 12.

Conver-

Conversacionem vestram habete honestam intergentes, ut pro eo quod obloquuntur vobis ut facinorosis, ex bonis operibus quæ spectarint, glorificent Deum die visitationis. Cur Noachus centum & viginti annos inter impios vixit arcam struendo, quam ut eos converteret?

Attendite jam huc omnes homines impii & profani ac infideles, attendite, inquam, & agnoscite in eo bonitatem Dei immensam, quod veros sui cultores inter vos habeat, Ananiam, Judam, &c. nam hoc modo etiam vos ad se invitat benignè. Utimini quæso hac occasione: eos apud vos retinete, atq; magnificite, scientes iram Dei certò superventuram, quamprimum illis privabimini, ut *Esa. 57. 5. 6.* loquitur: *Justus perit, & nemo homo reponit in animo: homines, inquam, benigni recipiuntur nemine advertente, ante adventum ipsius mali recipi justum: ingredi pacem, requiescere in cubilibus suis; quisquis ambulat in equitate sua.* Favor Dei fuit singularis, quod in primo mundo habuerit Noachum: ideoque statim ac eum in arcam recondidit, & abs eorum facie abstulit, insequentum fuit horrendum exitium. Favor fuit quod inter Sodomæos habuerit Lothum: ideoque statim ac eum inde eduxit miserabili perire incendio. Quod jure optimo illis fit: nam ejusmodi pœnas horrendas meretur eorum ingratitude.

Nobis vero non est timendum, nec aliis fidelibus, ut Ecclesia intereat in terris, ut eam

adversarii opprimant & funditus extirpent. Nam etiamsi videatur neminem superesse, tamen Deus habiturus est semper aliquos, etiam in medio ipsorum hostium: ipsius enim promissiones sunt certissimæ, quibus promittit se habiturum semper Ecclesiam, *Matth. 28. v. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Est enim æternus Rex, Pastor & Sponsus.

D E S E C U N D O.

II Ipsa
vocatío.

Ipsa vocatio est in verbis; *Ad quem dixit per visionem Dominus, Anania.* In sacris litteris reperimus quatuor modos quibus Deus ministris suis apparens, voluntatem suam eis revelabat: 1. Viva voce, quæ tamen sæpe Angelorum ministerio prolata est. 2. Per somnium dormientibus immissum. 3. Per singularem quandam familiaritatem, qua quasi de ore ad os cum ipsis loquutus est. 4. Per visionem, qua vigilantibus etiam rerum indicandarum species sunt representatæ. Vide locum *Numer. 12. v. 6. 7. 8.* Ita hîc Dominus cum Anania per visionem loquitur. Est autem visio idem quod visum, nempe species aliqua quam non tantum dormientes videmur videre: sed quæ etiam nonnunquam vigilantibus usuveniat; quemadmodum Bruto legimus mali genii visum non multo ante cladem Philippicam apparuisse. Hæc visio Ananiæ nocturne fuerit, an de die, non exprimitur: *Propheta enim, & alii, quos Deus*

Deus per visiones a loquebatur (ut hunc locum Magni Theologi verbis illustrem) & noctu vi-

D. Camero.

dent & interdū, ita ut soli videant, quæ vident. Act. 23. Noctē assistens ei Dominus ait, confide Paulē. Visio prophetica fuit haudquaquam ab externa specie. Itaque exserte Lucas notavit hoc quicquid est contigisse, non ut moneat Dominum deserto cælo in terra sui copiam fecisse Paulo, sed ut significet ita Paulum noctu fuisse affectum, ut Dominum veluti oculis præsentem cerneret. Ita hoc loco per visionem intellige certum aliquod symbolum oculis ejus objectum ad testandam Dei præsentiam. Nam hic est visionum usus, ut verbi majestas ritè comprobata, fidem apud homines obtineat.

Vocavit itaque Dominus cum imperio ad se Ananiam; ut ostenderet, se habere jus & imperium in suos discipulos quibus imperare potest absolute. Ita Actor. 13 v. 2. jubet Barnabam & Saulum separari ad opus ad quod eos advocavit. Hoc autem jus fuit ex fundamento duplici: 1. Quod est ei in omnes creaturas. 2. Quod est ei in solos fideles. Illud jus fuit ex dominio quod habet in creaturas omnes, quodque ei est cum Patre & cum S. Spiritu commune. Hoc jus & dominium est absolutissimum & infinitum, quia nulla est proportio inter creatorem & creaturam. Non utitur autem Deus illo absolutissimo jure, quia bonus est. Nam absolute uti dominio est agere aliquid ita, ut ejus

Doctrina. Christus habet jus & imperium in suos discipulos.

nullam possis dare rationem aliam, quam voluntatem tuam & libidinem: sed si accedat certum consilium cur hoc facias, absolutum non est. Atque ita Deus agit, quicquid agit, ex certo consilio ac ratione pro sua sapientia. Jam ergo patet, Christum habere jus in fideles ideo:

Ratio 1. *Primo*, quod sit eorum creator, illi ipsius creaturæ, *Joh. 1. 3.* *Omnia per hunc sermonem facta sunt, & absq; eo factum est nihil, quod factum est.* Quod non de secunda creatione intelligi potest, ut Sociniani desipiunt: nam per hunc eundem sermonem mundus factus est, *v. 10.* qui tamen dicitur eum non recepisse: quod de fidelibus interpretari non potes: quia illi eum ceperunt, *v. 12.* *Quotquot eum exceperunt, dedit eis hoc jus ut filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus.* Idem jus creationis Paulus ei tribuit, *Colos. 1. 16.* *Per eum condita sunt omnia quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia, inquit, per eum & ejus respectu condita sunt.* Qui locus etiam non nisi de prima creatione intelligi potest. Nam Angeli, qui ab Apostolo per thronos, dominia, imperia, & potestates intelliguntur, per Christum non fuerunt redempti: quia redemptione non habuerunt opus.

Ratio 2. *Secundo*, quod sit eorum redemptor: redemit sibi eos morte sua ab inferno, peccato, morte & potestate diaboli: ita ut jam non sint sui juris, sed ejus hoc respectu mancipia. Clara sunt hæc testimonia

testimonia, 1. Cor. 6. v. 19. 20. *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus S. qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque vos esse vestri juris? Nam empti estis pretio; glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro. quæ sunt Dei, Act. 20. 28. Attendite animum ad vos ipsos, & totum gregem in quo vos Spiritus ille sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam suo illo proprio sanguine acquisivit. 1. Pet. 1. 19. Sciatis vos non corruptibilibus rebus, argento vel auro, fuisse redemptos ex vana illa vestra conversatione, à patribus tradita: sed pretioso sanguine, utpote agni inculpato & incontaminato, nempe Christi.*

Postremò, habet Christus jus in fideles etiam ideo, quod ei sunt dati à Patre cœlesti, ut ipse loquitur, *Joh. 17. 24. Pater, quos dedisti mihi, velim ut ubi sum ego & illi sint mecum: ut spectent gloriam illam meam quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante jactum mundi fundamentum. Matth. 28. 19. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Quis igitur satis expresserit impietatem eorum hominum, qui huic Domino tale jus in Ecclesiam suam habenti rebellant, nec ei subditi esse volunt? quin potius ei adversantur & obedientiam præstare recusant! nolunt ut eis hic Dominus dominetur, neq; imperet. *At quæris: Quis vero adeo est impius, præsertim inter Christianos, qui Christo obedire nolit? Respondeo: Tales sunt primò omnes illi, qui non agnoscunt hoc dominium in creaturas esse absolutum: sed*

Ratio 3^a

Usus reprehensionis.

Qui sunt Christo rebelles?

1.

tantummodo niti beneficiis quæ ipse illis contulit: itaque dicunt tantum illi esse juris in creaturas suas, quanta sunt ejus beneficia: quare cum Dei in creaturam collata beneficia non sint infinita (siquidem nulla creatura est infiniti capax) ideo nec dominium Dei in creaturam esse infinitum & absolutum. Sed ad hanc sententiam refutandam non multis est opus. Nam certe, si homines in servos habent dominium tale, quod non nititur beneficiis, ut dominus in servū, multo magis Deus, inter quem & nos nulla proportio. 2. *Qui negant aperte aut tacite Christum venisse in carne. Nam quicumque spiritus non profitetur Jesum Christum in carnem venisse, ex Deo non est: sed hic est ille spiritus Antichristi, &c. 1. Joh. 4. 3.* Tales autem sunt non tantum Judæi & Turcæ, sed etiam Anabaptistæ & Mennonitæ ipsorumque asseclæ: qui negant Christum assumpsisse naturam corpusque verum humanum: sed potius dicunt eum Judæos phantastico aliquo & imaginario corpore deluisse: nec veram & humanam carnem ex substantia Mariæ virginis assumpsisse: sed è coelis carnem primitus extulisse, & in matris suæ uterum intulisse. Verum enim vero, cur ergo vocatur filius hominis, filius Davidis, & semen Abrahæ, nobis per omnia similis excepto peccato. 3. *Qui dicunt se non habere peccatum: quales sunt omnes justitarii, pharisæi, qui dicunt se Dei omnia præcepta perfecte im-*

Et implere. Sed talibus ergo non opus est Christo & ejus morte, 1. Joh. 1.7.8.10. Sanguis Jesu Christi Filii Dei purificat nos ab omni peccato. Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. 4. Qui Deum absque Christo invocant: quum tamen exauditionem non nisi iis promittit qui Patrem in nomine ejus invocant, Joh. 15.16. & 16.23. 5. Quæ Christo solo & unico mediatore & intercessore non sunt contenti, sed adjungunt ei sanctos homines demortuos: quum non nisi ipse sit solus & unicus deprecator noster, 1. Tim. 2.5. Unus est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus. 1. Joh. 2. v. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis. 6. Qui non serviunt Domino nostro Jesu Christo, sed suo ventri, quales sunt dissidiorum & offendiculorum autores contra doctrinam Christi. Rom. 16.18. de talibus Paulus ait: Qui ejusmodi sunt, Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri. Omnibus istis rebellibus quid faciet Dominus? dicet nimirum, Luc. 19.27. Meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare supra se, adducite huc, & jugulate coram me. Quod ne nobis cum illis accidat, avertat optimus Salvator: ideoque studeamus, ut simus ejus servi, jusque illud quod in nos habet libenter feramus. Hoc autem fiet, si 1. Receperimus omnia ejus præcepta, de fide, de charitate; si receperimus sermonem ejus

4.
5.
6.

Usus II.
Dehortationis.

Media,
1.

non ut sermonem hominum: quo nomine laudantur Thessalonicenses, 1. Epist. 2. 13. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quod acceptum de Deo sermonem quem audistis ex nobis, exceperitis non ut sermonem hominum, sed (sicut est vere) ut Dei sermonem, qui etiam agit in vobis qui creditis.* 2. Recipiamus ejus ministros: nam sunt ejus viceteneres, *Matt. 10 40. Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui misit me.* 3. In ejus cultu perseveremus usque ad finem. 4. Præstemus illi obedientiam cæcā, sine contradictione aut murmuratione, etiamsi non videamus quare hoc vel illud Deus jubet; sed contenti simus eo quod jubeat. Exemplum est in Abrahamo & Paulo, *Hebr. 11. 8. Per fidem vocatus Abraham auscultavit Deo, abeundo in locum quem accepturus erat in hereditatem, & exivit nesciens quod esset venturus. Gal. 1. 16. Quando libuit Deo revelare filium suum in me, ut Evangelizarem illum inter gentes, non statim præterea contuli cum carne & sanguine.*

DE TERTIO.

III.
Ut se
gessit A-
nania?

Quomodo vero se gessit Ananias à Domino vocatus? obedientissimè; nam statim respondit: *Ecce ego adsum Domine.* In quo iterum commendatur obedientia Christiana: sed quia hanc doctrinam in *vers. 8.* jam fuse tractavimus, ad eam lectorem benignum remittimus.

VERSUS XI.

Tum Dominus ad eum, surge, & proficiscere in vi-
cam,

um, qui vocatur rectus, & quere in domo Jude Saulum; quendam nomine, Tarsensem, ecce enim orat.

E X P L I C A T I O.

H Actenus egimus de primo actu Visionis quam Ananias habuit, in quo Dominus eum ad se vocaverat. Secundus sequitur, qui continet duo mandata Domini. Prius describitur hoc versu & sequentibus. Mandat autem Ananiæ, ut eat in vicum quendam dictum Rectum, ad Saulum. Hoc mandatum ita describit Lucas, ut

1. Ponat illud ipsum mandatum.
2. Rationem, quare Ananias eo ire debuit?

D E P R I O R E.

Mandatum ipsum continetur his verbis: *Surge & proficiscere in vicum qui vocatur Rectus.*

Hic iterum habemus argumentum singularis providentiæ Dei nostri, qui novit vicos, plateas & domos: & multo verò maximè homines in iis habitantes. Jubet surgere, id est, ex templo, sine mora abire, dum tempus est, & bona se offert occasio Saulum convertendi, vel potius confirmandi in via Domini. Hoc autem commodè transferri potest ad generalem doctrinam.

Docemur enim non negligere bonas occasiones præsertim vero bene vivendi. Occasio illa est curriculum vitæ hujus temporalis, à nati-
vitate nostra usque ad mortem. Quid aliud

I.
Ipsum
manda-
tum.

Doctri.
Bonæ oc-
casionēs
non sunt
negligen-
de.

vult Paulus, dum Ephesios *cap. 5. v. 16.* monet, *redimere oportunitatem*, quoniam dies mali sunt? Et Romanos, *cap. 13. v. 11.* à somno expergisci, *per specta oportunitate.*

Ratio

1.

Idem planè nos facere convenit. Nam primo tempus hoc à Deo non alium ob finem nobis est concessum. Insipiens sanè fuerit, qui cum ei aliquid offerretur, recipere negligeret: sed demum postea sublata occasione cuperet repetere. Non abs re veteres Occasionem deam fingeant fronte capillatam, à tergo verò calviam. Iidem poma auriaca certo tempore cõmebant, quia non diu durant. Eodem modo nos pietate & bonis operibus quasi,

Ratio 2.

cam, emamus vitam æternam. Ad quod nos excitare debet brevitatis hujus vitæ, quæ statim ac transibit, nullum relinquet spatium redimendi ea, quæ neglexerimus.

Usus

Hortatorius.

Media

1.

O incumbamus ergo in idtotis cogitationibus & viribus nostris! Quod eo facilius exsequemur, si, 1. Fugiamus mundi illecebras & ejus voluptates: nam illæ à Deo & vita Christiana homines abducunt. Nolite diligere mundum, inquit Johannes, *1. Epist. 2. v. 15. 16.* neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniã quicquid est in mundo cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est. Mundus autem transit & concupiscentia ejus, qui verò præstat voluntatem Dei, manet in æternum. 2. Deinde, caveamus

viamus

veamus nimiam curam & sollicitudinem rerum ad hanc vitam pertinentium : uti dehortatur Christus, *Luc. 21. 34 35.*

DE POSTERIORE.

Jam docet Ananiam Dominus, quid in vico illo agere debeat? nempe, *Querere Saulū.* Quod iterum proponit primo : deinde significat de conditione Sauli, quid agat?

PRIUS quod attinet, illud, est in verbis; *Quære in domo Judæ Saulum quendam nomine Tarsensem.* Hoc nomine patria & locus natalis Sauli notatur. Erat autem Tarsus urbs Ciliciæ præstantissima, (ut autor est Strabo lib. 15.) & regionis totius caput, in campis sita, & Cydno amne irrigata : cujus conditorem volunt fuisse Perseum Danaes filium. Alii tamen originem hujus urbis ad Sardanapalum referunt, cujus etiam monumento incisum erat, quod Tarsum & Anchialon die uno condidisset. Absurda ergo fuit opinio Ebionitarum (ut refert Epiphanius hæc. 30.) Saulum fuisse natione Græcum, Græcis parentibus ortum : sed venisse Hierosolyma; ubi postquam summi sacerdotis filiam in matrimonium cupivisset proselytus factus est & circumcisus fuit : quum tamen ipse Paulus testetur, se ex gente Israëlitarum esse, tribu Benjaminis, Hebræus ex Hebræis, *Phil. 3. 5.* Nec minus à veritate aberravit Hieronymus, Beda, in *Cap. Act. 22.* Masius in *c. 19. Josue*, qui putarunt patriam Sauli fuisse Giscalim oppidum

II,

Ratio.

Cur co-

ire de-

buit A-

naniae?

I. Pro-

positio.

dum quoddam Judææ, sed occupato illo à Romanis demùm cum parentibus suis venisse Tarsum. Sed quod natus fuerit Tarsi, patet inde; 1. Quod ipse Saulus de se dicat, *Act. 22. 2. Ego sum Judæus natus Tarsi, quæ urbs est Cilicia.* 2. Paulus natus fuit Romanus, *Act. 22. 26. 28.* id est, natus in civitate privilegiis ornata Romanæ libertatis: quæ non habuit Giscalis: Tarsus autem habuit, teste *Dione lib. 47.* 3. Ignatius scribens ad Tarsenses, vocat eos cives & discipulos Pauli.

Hunc itaque Saulum Tarsensem Ananias debuit quærere, ut eum confirmaret in fide Christi; vel ut eum externè vocaret & in gremium Ecclesiæ insereret.

Doctrina.

Quilibet Christianus debet procurare conversionem sui proximi.

Quo ipso nos docere voluit, officium cujuslibet Christiani esse procurare conversionem sui proximi & ut Christo lucrifaciat eum. Potuit enim ipse Dominus perfectissimè eum de omnibus instruere, quæ erant necessaria: verum tamen remisit eum ad Ananiam, ut hoc ipsum nos doceret. Eandem doctrinam inculcat Paulus Galatis, *cap. 1. 6. Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconcinnae hujusmodi hominem cum spiritu lenitate: considerans unusquisque temetipsum, & ne tu tenteris. Jas. 5. 10. Fratres, si quis inter vos aberravit à veritate, & converterit eum qui sapiam, sciat eum, qui averterit peccatorem ab errore viæ suæ, servaturum animam à morte, & operturum multitudinem peccatorum.*

Potest

Potest autem converti & lucrificari proximus noster hoc modo: 1. Docendo eum doctrinam veram. Hoc ostendit Dominus, quum ait ad Apostolos suos: *Ite & docete omnes gentes.* Hoc modo conversus est à Philippo E-

Quomodo proximus noster converti possit:

1.

2.

3.

4.

nuchus ille, de quo *Actor. 1. v. 35. 38.* scribitur.

2. Non offendendo eum. Hoc enim exemplum primariò ad Christianos pertinet. Ita se gesserunt Apostoli, *2. Cor. 6. 3. 4.* *Nullam ulla in re prebentes impingendi causam, ne vituperetur ministerium. Sed in omnibus nos approbantes ut Dei ministri.* 3. Vita pia & exemplari, ut monet Petrus, *1. Epist. 2. v. 12.* 4. Reprehendendo eum, quoties aliquid reprehensione dignum videmus. Jubet hoc Dominus, *Matth. 18. v. 15.*

Ad quod officium excitet nos honor, quo nos Dominus dignatur: nam loco citato dicit nos lucrificare perditum: quod tamen opus conversionis non cadit in quenquam alium, quam eum solum, qui dum nos externè corrigimus fratrem, ille idem agit internè & efficaciter.

Rationes hujus nostri officii sunt hæ: 1. *Quod* hoc modo augetur gloria Christi, quam promoveri omnes debent, non solum ministri Ecclesie sed etiam politici, ut vocant, homines. Omnes enim homines hoc fine sunt conditi, *Esa. 43. vers. 21.* *Populum quem formavi mihi, laudem meam enarrabunt.* 2. *Quia* omne bonum est sui communicativum. Quid verò melius salute æterna? Ergo eam cum aliis communi-

Ratio.

1.

2.

3. cemus. 3. *Quia ejusmodi hominibus singulare præmium est promissum, Dan. 12. 3. Erudientes alios splendebunt quasi splendore expansi: & justificantes multos, ut stellæ, in sempiterna secula.*

Usus reprehensionis.

Verum enimvero, ô quam paucos hodie invenias, quibus cordi sit ædificatio proximorum suorum! quis est, qui fratrem suum doceat, qui reprehendat, quin potius adeo jã corruptus est mundus, ut alter alterû in malo confirmet, peccatû extenuando vel excusando, vel idẽ cum eo patrando. Hæccine verò est mutua ædificatio? Audi quomodo tales ipse Deus reprehendit, *Psal. 50. v. 16. 17. 18. Quid tua ut enarres decreta mea, & assumes fœdus meum in ore tuo? cum tu oderis disciplinam, & projeceris verba mea post te? simul ac vides furem, acquiescis ei: & cum adulteris est portio tua.* Hic verò consideranda

Impedimenta;

1.

est nobis origo hujus mali: unde hoc est, quod homines non curant proximorum suorum, ædificationem & salutem? 1. Carent zelo & fervore gloriæ Dei & suæ ipsorum salutis. Impossibile enim est, non studere promotionem gloriæ Dei, quicumque eam desiderant. Non dicunt tales cum Davide, *Psal. 69. 10. Zelus domus tue exedit me, & opprobria probris afficientium te accidunt mihi.* Tales nec sunt frigidi nec calidi, ideoq; eos Dominus ex ore suo ejiciet, *1. Cor. 9. 16.*

2.

Non habent veram charitatem fraternam erga proximum suum. Hæc enim ubi est, ibi homo proximum diligit ut seipsum. Vide quid Paulus

Paulus ex fundamento hujus charitatis in salutem fratrum suorum non fuerit paratus facere? Rom. 9. 1. 2. 3. *Veritatem dico per Christum, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum Sanctum, magnam mihi tristitiam esse, & sine intermissione cruciatum cordi meo. Operarim enim ego ipse anathema esse separatam à Christo, pro fratribus meis, cognatis inquam meis secundum carnem.* 3. Aliquando quidem non audent ob alios, metuentes ne ab iis irrideantur néve dicant: ecce ministrum: vísne tu esse minister? sed hæc talia sunt, ut tibi potius honori inferant, quam ignominia: non dubitat enim Petrus omnes fideles appellare Sacerdotium sanctum, 1. Ep. 2. 5. Tales etiam irrifores nihil aliud expectare debent, quam ejectionem è domo Dei, uti ejectus fuit Ismaël irrifor è domo Abrahami.

POSTERIUS quod attinet, Dominus edocet Ananiam de statu Sauli, quid agat, nempe, *orat: ecce enim, inquit, orat.* Hic locus non ita intelligi debet, quasi Dominus hîc loquatur de oratione unius momenti: sed indicat Paulû tri-
 duo illo precibus fuisse intentum, & assiduum in hoc genere exercitii. Cujus orationis causa videtur etiam tam diu jejunasse: ut nempe ardentior & ferventior ad preces redderetur. Orare generaliter significat precari, & invocare Deum. Est autem precatio cultus divini præcipua pars, qua cum fiducia ab omniscio, omnipotente

2. Significatio de Sauli cõditione.

potente & misericorde Deo, per & propter
mediatorem Christum petimus quæ corpori &
animæ salutaria ac promissa sunt. Precatio ha-
bet duas partes: Petitionem & Gratiarum actio-
nem. In *petitione* studemus à Deo impetrare
res bonas, quæ nobis vel proximis nostris de-
sunt: & amovere mala, quæ nos vel fratres no-
stros premunt. *Gratiarum actione* autem lau-
dem Deo tribuimus pro acceptis ab eo benefi-
ciis. Hoc in loco nullum dubium est, quin
Paulus & bona sibi dari petierit à Deo, mala
autem amoveri, & pro beneficiis ei gratias ege-
rit. Cur vero tamdiu institit precationi? quia
nimirum expectabat complementum promissio-
nis Christi, qui ei promiserat instructionem
ab Anania sufficientem. Hic nobis preces com-
mendantur, & quidem ita, ut doceamur;

Doctr. 1.
Hominis
Christiani
officiū
est Deum
orare.

Primò, officium hominis Christiani esse ora-
re Deum: est cultus Dei, ad quem omnes ob-
stricti sunt. Paulus suo exemplo præit. Idem
manifestum & certum est;

Ratio 1.

1. *Ex Dei voluntate.* Vult enim Deus ut eum
precemur; quam suam voluntatem patefecit
non tantum in mandato expressè hac de re fa-
cto, *Psal. 50. 15. Invoca me in die tribulationis. Job.*
16. 24. Petite. Sed etiam in promisso exauditio-
nis, *Psal. 15. 15. Exaudiam te. Job. 16. 24. Accipietis.*
& v. 23. Quæcunque petieritis à Patre in nomine
meo, dabit vobis.

Ratio 2.

2. *Ex necessitate nostra,* quæ ad precandum
nos

nos impellit. Sumus enim indigi rerum ad corporis & animæ salutem necessariorum. Res autem hæ aliunde non obveniunt, nisi à Deo, à quo solo sunt petendæ.

Procul ergo absint à Christianis Adamitæ & Prodiciani, qui negarunt esse precandum Deum.

Object. 1. Deus scit, quibus egemus, uti ipse Dominus loquitur, *Matth. 6. 23.* *Novit Pater ille vester cælestis, vos indigere his omnibus.* Quid ergo opus precibus? *respondeo*, consequentiam esse malam: non enim ideo Deum oramus, ut ei ignota patefaciamus, sed ut ab ipso per hoc medium necessaria impetremus.

Object. 2. Decreta Dei sunt immutabilia: Ergo frustraneæ sunt preces. Sed *respondeo* 1. Hoc non posse frustra fieri, quod ad Dei præscriptum & mandatum fit. 2. Præsertim quum Dei decretis inclusæ sint etiam piorum preces, tanquam media ad executionem divinatorum decretorum tendentia.

Nos vero precibus sedulò incumbamus. Christus jubet quotidie petere panem quotidianum, in Oratione Dominica. Pii in Veteri Testamento quotidie solebant orare. *Psal. 55. 17.* *Ego Deum inclamabo, Jehova servabit me. Vespere & mane atque meridie meditabor & perstrepan, donec audiverit vocem meam. Dan. 6. 10.* Daniel ingressus est domum suam, cui fenestræ aperte erant in cœnaculo ejus ex adverso Hierosolymorum: & temporibus tribus de die ipse procumbens in genua

Ufus 1.
Resutat.

Solutio
argumento-
rum;

1.

2.

Ufus 2.
Hortat.

Regule
in preci-
bus ob-
servanda.

1.

*sua orabat & confitebatur coram Deo suo, quem
admodum fecerat antea.* Ut autem preces no-
stræ sint efficaces observemus has regulas; 1. Ut
illæ oriantur ex fide: nemo enim religiose in-
vocat eum, in quem non credit, *Rom. 10. v. 14.*

2.

Credere ergo oportet nos Deum esse omni-
scium, scrutatorem cordis: esse omnipotentē,
qui possit facere quod petimus: esse propen-
sum ad dandum nobis necessaria, idque propter
Christum mediatorem, in cuius nomine fa-
ciundæ sunt preces, *Joh. 14. v. 13. 14. Quicquid pe-
tieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur
Pater in Filio.* 2. Preces nostræ non ad crea-
turas ullas sunt dirigendæ, sed ad solum Deum.
Sic Paulus, *Rom. 1. 8.* Nullum sanctum hominem
aut Angelum in scriptura legimus religiose in-
vocatam. Nec mirum; nemo enim præter
Deum est omniscius, omnipræsens, omni-
potens: quæ tria requiruntur in eo, qui religiose
est invocandus. Quocirca, quicumque Sanctos
homines aut Angelos invocant, deos sibi eos
fingunt: qui enim omnes homines per totum
mundum dispersos exaudire debet, oportet ubi-
que & ut omnia sciat: quæ proprietates qui
habet Deus est omnino.

Obiectio.

Obiect. Sancti in Deo tanquam speculo om-
nia intuentur, adeoque necessitates nostras sin-
gulas per revelationem sciunt.

Respon-
sio.

Respondeo, absurdum & impium est, Deum
quoddam magnum fingere speculum, in quo
homines

homines & necessitates eorum repræsententur. Hoc enim est extra scripturas imò contra scripturas confictum. Expresse enim dicitur, *Esa. 63. v. 16. Tu es Pater noster: Abraham nescit nos, & Israël non novit nos.* Et licet maximè omnia intuerentur & per revelationem scirent, tamen propterea religiose coli & invoacri non deberent: quia scriptum est, *Matth. 4. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies.* 3. Precandum cum confidentia, sine omni dubitatione; Nam *Jac. 1. v. 6. 7. qui ambigit, similis est fluctui maris, qui ventis agitur & jactatur. Non enim existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino.* Talem confidentiam Christus habere jubet, *Marc. 11. 24. Dico vobis, quaecunque precantes petitis, credite, vos accepturos, & erunt vobis.*

Regula
3.

Deinde ex hoc loco docemur etiam, si à Deo per preces aliquid obtinere cupimus, continuandum nobis esse in precibus, Paulum jam videmus triduo precibus incubuisse. Talem precum continuationem scriptura ubiq; commendat, *Habac. 2. 3. Si cunctabitur, expecta eum: nam omnino veniet, & non tardabit. Rom. 12. 12. In oratione estote perdurantes. Luc. 18. 1. & seq. Dixit Jesus eis parabolam huc spectantē, quod oporteret ipsos semper orare, nec segnes esse. 1. Thess. 5. 17. Sine intermissione orate.* Abraham preces continuavit, quibus Isaacum obtinuit. David decennium petiit sibi dari promissum regnū. Rachel, filium Josephum. Idem fervor apparet in Da-

Doctrina
2.
Continuatio
est in
precibus.

vide, qui dicit se clamare die & nocte, *Pf. 22. 3.*

*Casus
Consci-
entie.*
1.

Quod si *quæras*: Anne igitur ita continuo & sine inrermiffione orandum, ut, quod faciebāt Euchites & Psalliones hæretici, nihil aliud fit agendum, quam precandum? *Respondeo*, minimè hæc ita esse intelligenda: nam exequenda sunt officia vocationis nostræ: imo si quis hæc proprie accipere velit & exercere secundum litteram, battologiam committet, quã tamen Christus à nobis procul vult abesse. Verum hæc accipienda sunt de fervore & ardore in precibus: *deinde*, de continuis mentis precibus, quæ frequentibus desideriis exprimiuntur: tandem de certis & statis horis orationi singulis diebus assignatis. Similis phrasis de Mephibosero legitur; *2. Sam. 9. ult. v. Mephiboseth semper comedebat in mensa regis.*

2.

Porro si *quæras*, quamdiu vero res necessariae à Deo petendæ sunt, & quamdiu continuandum in precibus? *Respondeo*, quamdiu Deus te non faciat voti tui compotem: aut manifestum non reddat se nolle te exaudire. Non enim Deus semper nobis dat res temporales; quia scit melius quã nos, an illæ nobis sint salutares nec ne.

Ratio.

1.

Jam vero videndæ nobis sunt rationes, ob quas preces nobis continuandæ sunt, si à Deo impetrare velimus res necessarias. *Prima* est, quia Deus non rarò differt exauditionem precum nostrarum, ut exploret nostram in precando constantiam & fervorem.

Secunda

Secunda est, proprietas & requisitum orationis Deo placentis, constantia & ardor. Hinc Dominus ait, *Joh. 4. 24. Deus Spiritus est, & qui adorant eum, oportet ut Spiritu ac veritate eum adorent.*

Tertia est, quia Deus nihil nobis debet, ideoque nostri est officii summis quasi ab eo extorquere precibus. Nullo est nobis jure obligatus, quia nihil à nobis accepit, *Rom. 11. 35. Quis prior dedit ei, ut reddatur ei?* Obligavit quidem se ipse nobis dare vitam æternam, & exaudire preces nostras: verùm hæc promissio plusquam est gratuita; nec tenetur ea, nisi velit.

Unde jam perspicere possumus, quæ sit causa, quod quidam precum & votorum suorum non reddantur compotes? nimirum inter alias etiam hæc, quod non continent suas preces. Quod autem eas non continent, hæc eos videntur mihi impedire: 1. *Existimant* Deum debere eos statim exaudire atque illi os aperiunt. Verùm ineffabilis esset hæc ejus bonitas & gratia, si demum post mille annos, quibus totis ad eum clamarem, nos exaudiret: quia nihil nobis debet. 2. *Dubitatio*: quia enim dubitant an sint obtenturi, ideo preces suas non continent. 3. *Desidia* quædam naturalis, qua homo carnalis non libenter cum Deo colloquitur. *Matth. 26. 41. Spiritus quidem est promptus, sed caro infirma,* id est, ad orandum. 4. *Falsa opinio*: putant enim se officio satisfacisse, si vel semel

20

34

Ufus
Instituit.Impedi-
menta.

1.

20

30

40

*Media
acquire-
di Spi-
ritum pre-
cum, 1.*

precati fuerint. Verum nos in antecedentibus ostendimus, sæpe nos debere orare. Quapropter qui in se non invenit Spiritum precum, sed torporem, excitare debet ardorem hoc modo: 1. Eat ad Deum Patrem in nomine Jesu Salvatoris sui, eumque oret, ut ei det verba precandi, edoceatque eum quomodo orare debeat. Nemo est præter Deum alius, qui hæc nobis dare potest. Spiritus ejus clamat in cordibus fidelium, *Rom. 8 v. 26. Nos quid oremus ut oportet non novimus: sed ipse Spiritus intercedit pro nobis suspiriis inenarrabilibus.* Ibidem *v. 15.* Per ipsum clamamus, *Abba, id est, Pater.* 2. Adjungat se iis hominibus, qui sæpe & ardenter Deum invocant; quod consilium Paulus dat Timotheo, *2. Epist. 2. 22. Juveniles cupiditates fuge: sed sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis, qui invocant Christum ex mundo corde.*

V E R S U S X I I.

(Et vidit Saul per visionem virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manum, ut visum reciperet.)

E X P L I C A T I O.

HÆc verba sunt Lucae Historici, non autem Christi Domini: ideoque parenthesis includenda sunt, quemadmodum versus septimus. Nam Beatus Lucas narrat, quid interea temporis, dum hæc Christus ad Ananiam loqueretur, cum Paulo gestum fuerit? Visionem habuit, in qua vidit Ananiam ad se venientem & ma-

& manus sibi imponentem. Videbimus ergo:

1. Propositionem istius visionis.
2. Quis ille vir fuerit, quem ad se venientē
3. Quid egerit? (vidit?)

DE PRIMO.

Propositio est in verbis; *Et vidit Saul per visionem virum introeuntem*, id est, plane eo tempore, quum Christus cum Anania colloqueretur, eumque mandatis ad Saulum instrueret: eo fit ut idem Saul in fide Christiana confirmaretur: ne putaret se à domino jam esse derelictum: quinimò ut certior redderetur, se esse ei curæ ac cordi.

I. Propositio Visionis.

Atque hæc est bonitas Salvatoris nostri domini Jesu Christi, quod quemcunque semel ad se recipit, eum nunquam jam deserit: imò confirmat, instruitque: ne quicquam dubitet aut ne deficiat ab eo unquam. Saulum nostrum jam receperat, & instruxerat quid agere debeat, ne pe ire in civitatem; verum non sufficiebant hæc ejus bonitati: ideoq; in ipsa etiam civitate curam ejus habuit; eumque ne hæsitaret diutius expectando per visionem confirmavit. Abrahamum non tantum eduxit ex suâ patriâ, sed sæpè ei se præbendum exhibebat, renovando suas promissiones. Suos discipulos postquam semel ad se recepit, ita eorum gessit diligentem curam, eisque ita prospexit, ut ipsi cogerentur ultro fateri, nihil ipsis defuisse. *Luc. 22. 35. Dixit etiam eis: Quando misi vos absque crumena, & pera*

Doctrinâ
Quem
Christus
ad se recepit,
eum nunquam
deserit.

& soleis, numquid defuit vobis? Ipsi verò dixerunt nihil. Exemplum etiam insigne est in populo Israëlítico ex Ægypto educto, duxit eum & introduxit in terram promissam. Fidelis enim anima est instar sponsæ quæ à sponso nunquam deseritur. Ipse idem promittit, *Osee 2. 19. Desponsabo te mihi in seculum: desponsabo te mihi, inquam, mihi iustitia iudicioque & benignitate ac misericordia.* Hanc eandem suam bonitatem Deus simili vineæ illustrat, *Esa. 5. cap.*

Ratio 1. At cur verò Deus tam constanti processu utitur erga suos? 1. *Primò* quidem ut clarum faciat, quanto illos amore prosequatur. Est autem iste amor Dei voluntarius: non ille quidem universalis, quo Deus diligit omnia, & nihil abominatur eorum quæ fecit, *Sap. 11. v. 29.* Et quo amat etiam impios, non quatenus sunt mali, sed quatenus sunt ejus creatura. Verùm specialis, quo magis amat pios quam impios. Unde de hoc diverso amore *August. Tractat. 11. in Johan. ait: Omnia diligit Deus quæ fecit, & inter ea magis diligit creaturas rationales, & ex illis eas amplius quæ sunt membra unigeniti sui, & multo magis ipsum unigenitum suum.*

Ratio 2. 2. *Deinde*, ut nos omnes eo magis excitet, ut ei constanter adhareamus, nec unquam ab eo deficiamus. Qui enim semel & iterum experitur aliquem amicum, libenter ei adheret. Ita consideratio etiam hujus divinæ constantis in nos bonitatis magnam vim habet nos apud Deum

Deum retinendi. Polycarpus martyr ob hanc causam maluit ei adhærere quam vitam conservare. Octoginta, ait, annos ei servivi, nulla re injuria affecit, imò omnia bona subministravit, num eum ergo deseram? nulla ratione; statimque martyrium subiit alacriter. Apostoli etiam dicunt, *Joh. 6. v. 68. Quo iremus à te?* quia nimirum considerabant eum habere verba vitæ.

Non est itaque vanum à Christo recipi, eique adhærere: siquidem ille tales nunquam deserit; quod summum est Dei beneficium. Sub hoc enim omnia spiritualia includuntur. Quocirca prophani illi longe abeant, qui dicunt, *Joh. 21. 15. Quid est omnipotens ut colamus eum? aut quid proficiemus, quum intercedemus apud eum?* Et apud *Malach. 3. 14. Vanum est colere Deum, & quod lucrum erit, quum observaverimus observationem ejus, & quum ambulaverimus atratè metu Jehovæ exercituum?* Sed talibus Deus respondet *ibid. v. 17. Timentes mei erunt peculium meum: & clementia utar erga ipsos, quemadmodum quis utitur clementia erga filium suum, qui colit ipsum.* Videtur quidem hoc nullum fructum adferre, præsertim quum à Christo receptos plerumq; contemptos esse videmus. At Paulus ad hoc respondet, dum ait, vitam nostram absconditam esse in Christo, *Col. 3. 3.* & Johannes, *1. Epist. 3. v. 2. Dilecti, nunc filii Dei sumus, sed nondum manifestum factum est quod erimus; scimus autem fore, ut quum ipse fuerit factus manifestus, familes ei simus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Adhæ-

Usus I.
Institutionis.

Ufus II.

Hortat.

Fructus

cultus

Dei.

Quomo-

do Chri-

stus suos

confir-

mat?

1.

2.

3.

Fructus

presen-

tia Chri-

sti quan-

do se ex-

erunt?

1.

2.

Adhareamus igitur nos etiam illi, & ipse nos non deseret, quinimo consolabitur & confirmabit: 1. Per suum verbū. Exemplū est in Davide, *Psal. 119. 50. Hæc est consolatio mea in afflictione mea sermonem tuū vivificare me.* Et *v. 92. Nisi lex tua esset omnis oblectatio mea, jã diu periissem in afflictione mea.* 2. Per Ministros suos. 3. Internè per Spiritum Sanctum, qui intus testabitur spiritui nostro, nos esse Dei filios, & per consequens hæredes regni cœlestis, *Rom. 8. 16. 17.* Hujus autem Dei præsentia & auxilii fructus potissimum se exercere solet: 1. In tentationibus; tum enim sentiunt fideles se Deo ita curæ esse, ut non amittant fidem. Hæc enim est dei donum. Insigne exemplum habemus in quodam Angliæ martyre viro celebri, qui postquam doctrinam Evangelii multos per annos tenuit, & ob id deinceps incarceratus fuit, subdubitare cœperat de doctrina Christi, & apostasiam meditari: verum Deus qui nunquam suos deserit, tandem eum instruxit quid agere debeat, nimirum constantiam resumere. Quocirca ductus ad rogam, summo cum gaudio clamavit & ad amicos dixit, qui ipsum prius consolabantur, & auxilium Dei promittebant; Jam venit, jam venit, jam venit, id est, Spiritus S. 2. In morte, quum maxime nobis opus est sentire eum nos non deseruisse. Sic Lazarus portatur in sinum Abrahamæ. Stephanus videt cœlos apertos & filium Dei stantem ad dexteram Dei, Elias

Elias in cœlum vehitur curru igneo triumphali: qui evidentissimo fuit argumento, Deum eum non deseruisse.

DE SECUNDO.

Vir ille, quem Paulus in visione videbat ad se introeuntem, fuit Ananias, idem qui cum Christo in visione loquebatur. Fuit autem ille unus ex numero discipulorum domini: cui mandat Christus confirmare Saulum & ulterius instruere in religione. Laicum autem illum fuisse credibile est.

II.

Quem vilit Saul in visione ad se venientem?

Non misit autem Dominus ad Saulum Angelum aliquem, sed hominem, unum ex suis discipulis, ideò, ut ostenderet munus Christianorum esse, ut alii alios doceant, & in religionis negotio instruant. Idem mandat Petro,

Doctrin. Christiani alii alios debent docere.

Luc. 22. 32. Tu, inquit, aliquando cum te converteris, stabili fratres tuos. Exemplum est, *Actor. 11. v. 20.*

Erant autem quidam Cyprii & Cyrenenses, qui ingressi Antiochiam, loquuti sunt Græcis, euangelizantes Dominum Jesum. Principaliter quidem hoc

pertinet ad Ministros verbi Dei: eis enim commissa est cura salutis auditorum suorum, *Actor. 20. 28.*

Ab ipsis eorum ratio requiretur, si etiam coronam gloriæ promissam habent præcipuè,

1. Pet. 5. 4. Attamen pertinet hoc etiam ad quoslibet Christianos, qui hoc officium præstare

possunt cum fructu.

Hujus doctrinæ hæc sunt fundamenta: *Quia omnes sumus fratres in Christo.* Eundem

Ratio 13

dem

dem habemus communem Patrem, Deum, creationis jure & redemptionis. Ita eum Salvator nominat, *Joh. 20. v. 17. Nondum ascendi ad Patrem meum: sed proficiscere ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: & Deum meum & Deum vestrum.* Num ergo debilem in fide fratrem tuum non confirmabis? salutis suæ imperitum non instrues? afflictione & mœrore tabescentem non servabis tuis consolationibus? Sanè qui hoc non faciunt, nullum se in hac fraternitate jus habere manifestè ostendunt. Fratrum debet esse maxima concordia & charitas.

Ratio 2. Deinde, quia omnes sumus ejusdem corporis membra, corporis mystici, videlicet Ecclesiæ, cujus Christus est caput. Hoc argumento ipse Paulus utitur, docens nos omnia dona quæ habemus, debere insumere ad proximorum nostrorum ædificationem: quia nempe sumus membra ejusdem corporis, *1. Cor. 12. per totum.*

Ufies
Hortatorius.
Medium

1.

2.

Inserviat igitur hoc nobis etiam admonitioni nostræ. At quomodo hoc faciendum?
1. Si sunt constituti in afflictione, aut affectu tristitia, consolemur eos. Ita solabantur Jobum amici ejus, afflictum & lamentantem, Jacobum flentem mortem Josephi, ejus filii. 2. Si opus habent instructione in rebus salutaribus, doceamus eos. Quod in primitiva Ecclesiâ adeo commune fuit, ut docere alios etiam in congregationibus publicis permissum fuerit, quibusvis

quibusvis auditorum ad id donis instructis ; uti
 ex 1. Cor. 14. v. 24. 26. apparet. De qua consuetu-
 dine Ambros. 4. cap. ad Eph. ait : *Ut ergo cresceret
 plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia con-
 cessū est & euangelizare & baptizare & Scripturas
 in Ecclesia explicare.* Quod tamen non eo addu-
 citur, quasi idem etiamnum cum Anabaptistis
 censeamus esse faciendum ; non enim jam li-
 cet, Euangelio ubique vulgato ; sed tantum-
 modo ut ostendamus, si licitum sit aut fuit,
 publicè cuilibet fratres suos ædificare : multo
 magis hoc fieri debere privatim. 3. Si hæsi-
 tant alicubi, confirmandi sunt ; uti jubet, *Esa.*
*35. 3. Confirmate manus remissas, & genua labantia
 fortificate. Dicite inconsideratis animo, confirma-
 mini, ne timeatis.* 4. Oremus pro illis, ut Deus
 illuminet eorum intellectum.

3.

4.

D E T E R T I O.

Quid autem egit vir ille ingressus ad Pau-
 lum? imponebat ei manus. Quod iterum
 I. Proponit. 2. Finem impositionis manuum
 ostendit. Propositio est in verbis : *& imponen-
 tem sibi manus.* Finis in verbis : *ut visum recipe-
 ret.* Vide, ille idem, qui ei prius usum oculo-
 rum ademerat, visum restituit certo adhibito
 externo symbolo. De impositione manuum di-
 cemus ad *vers. 17.* Nunc breviter has duas ob-
 servabimus doctrinas :

Primò videmus, Deum aliquando confe-
 rendo hominibus sua beneficia addere etiam
 externa

III.

*Quid vir
 ille egit?*Doctri-
 na.

Aliquādo D. us conferendo sua beneficia, addit etiam signa externa. externa signa & sigilla. Uti hoc in loco restituendo Paulo visum, signo externo manuum impositionis id confirmavit. Promittens se nolle jam unquam mundum diluvio perire, in certum hujus symbolum erexit arcum cœlestem. Achaio promissionem suam de conservatione Hierosolymitanæ civitatis confirmat signo nascituri Messia. Offerendo infantibus remissionem peccatorum jubet eos externe aqua ablui. Cibans nos corpore suo & sanguinem bibendum præbendo interne per fidem: dat externe panem & vinum.

Ratio.

Hoc autem idèd facit, ut infirmitati fidei nostræ subveniat. Difficiles enim sumus ad credendum nisi videamus. Manus nostræ oculatæ sunt. Speculum ejusmodi incredulitatis est Thomas, qui etsi Apostoli referrent ei surrexisse Christum, tamen credere noluit, dicens: *Joh. 20. 25. Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & immisero digitum meum in vestigium clavorum, & immisero manum meam in latus ejus, nequaquam credam.* Verum ô beatos illos, qui credunt, licet non viderint! Itaque quemadmodum certo videmus externa signa, ita certo sciamus nos interne beneficiorum Dei esse participes. Exempli causa, uti in Baptismo certo videmus aquam, ita certo persuasi esse debemus de sanguine Christi: & ut aqua habet vim abluendi sordes corporis: ita sanguis Christi abluit nos à sordibus spiritualibus, hoc est, peccatis.

Usus Institutionis.

peccatis. Hinc Johannes, *1. Epist. l. 7.* dicit sanguinem Christi nos purgare ab omni peccato. Hac autem ablutio à peccatis est regeneratio; ideoq; dicimur baptizari in remissionem peccatorum, *Actor. 2. 38.* Baptismus vocatur etiam lavacrum regenerationis, *Tit. 3. 6.* Et quemadmodum dum infans immergitur aquæ vel ea aspergitur, aqua unitur cum eo per externum contactum: ita certè & sanguis Christi, adeoque ipse Christus cum nostris animabus unitur, per Spiritum S. & per fidem. Ideoque ii qui baptizati sunt in Christo, dicuntur eum induisse, *Gal. 3. 27.* Atque talis est usus externorum symbolorum, quæ Deus adhibet ad confirmandas suas promissiones, vel conferenda nobis beneficia.

Deinde, animadvertamus hîc Dei bonitatem; quem enim vulnerat, ille idem sanat: quem percutit, iterum consolatur. Saulo ademerat quidem usum oculorum, sed restituit illi iterum visum. Nunquam ille suos liberos relinquit in afflictionibus contabescere, verùm eos tempore præstituto eliberat: si non semper temporaliter, semper tamen æternè. Quapropter optimè Anna ait, *1. Sam. 2. 6. 7. 8.* Jehova morte afficit, & in vitam restituit; demittit in sepulchrum, & educit. Jehova depauperat, & ditat: deprimit, etiam extollit. Erigit è pulvere tenuem, è sterquilinio extollit egenum. Sic *2. Cor. 1. v. 3. 4.*

*Doctr. 2.
Quem
Deus vul-
nerat,
eum ite-
rum sa-
nat.*

Neque mirum: est enim Pater misericors liberorum *Ratio. x.*

berorum suorum: *Psal. 103. 13. 14. Ut miseretur pater filiorum: ita miseretur Jehova timentium ipsum. Nam ipse novum figmentum nostrum, memor pulverem nos esse. Imo ille ipse hoc declarat, Jer. 31. 20. An filius charus est mihi Ephraim? an natus summe oblectationis est? nam ex quo loquutus sum contra eum, omninò recordor ejus adhuc: idcirco perstreperunt viscera mea propter eum, omninò miserebor ejus, dictum Jehovæ.*

Ratio 2.

Altera ratio est, ne in afflictionibus nimium affligantur, si non sentiant consolationem, aut ne desperent.

Institu-
tio.

Quicquid ergò adversi nobis acciderit, patienter feramus: certi de eventu optimo, id est, animabus nostris salutari.

V E R S U S. XIII.

Respondit autem Ananias, Domine, audivi ex multis de viro isto, quot malis affecerit sanctos tuos Hierosolymis.

E X P L I C A T I O.

HAbuimus v. 11. mandatum Domini Anania datum. Hic est ad illud responsum, in quo Ananias subterfugit ire ad Saulum, præ tendens periculum, quod ei posset evenire; si quidem, inquit, Saul est Ecclesiæ persecutor. Hoc autem duabus confirmat rationibus; 1. Quod multa de Saulo audiverit, &c. v. 13. 2. Quod habeat potestatem etiam Damasci vincire discipulos Christi. Nunc excutiemus verum priorè, in quo Ananias confirmat Saulum esse persecutorem. Ubi:

1. Hanc

1. Hanc suam rationem proponit.
2. Proponit etiam Sauli persecutionem.
3. Ostendit quem, & ubi fuerit persecutus?

DE PRIMO.

Hoc periculum & quod Saul fuerit persecutor confirmat & proponit his verbis; *Domine, audivi ex multis de viro isto. q. d. Ah quid fit mihi Domine, quod me mittas ad carnificem? an nescis, quid mali iste vir faciat? Sane certo accepi eum esse summum persecutorem: itaq; vereor, ne mihi idem faciat, quod aliis jam fecit: certè metuo mihi ab illo crudeli tyranno.*

Vides, sanctos etiam homines metui esse obnoxios & timori: etiam illi nonnunquam timement & exhorrescunt: aded usque quidem, ut

1. Nonnulli recusent obedire Deo & Christo: uti hoc loco Ananias: alii negligunt sua officia.

2. Nonnulli vix non incidant in desperationem. David inquit, *Psal. 77. 11. Hæc est mors mea.*

Sic angit se valdè, *Pf. 30. 8. Jehova, ait, te abscondente faciem tuam, sui conturbatus.* Eodem redactos se fuisse Apostoli ipsi testantur, *2. Cor. 1. 8. 9.*

Nolumus vos ignorare, fratres, de afflictione nostra que nobis evenit in Asia, nos supra modum gravatos fuisse supra vires, aded ut prorsus animi pendere-

mus, etiam quo ad vitam. Sed ipsi apud nos decretum mortis habuimus, ne consideremus nobis ipsis, sed in Deo suscitante mortuos. 3. Quidam deficiunt, uti

videmus in Petro, qui ad quæstiones à misera ancilla sibi propositas ita fuit conturbatus, ut

I. P. o.
positio
Rationis.

Doct. vir.
Sancti
etiam
obnoxii
sunt ti-
mori.

Dominum ter abnegaret, *Matth. 27. 73. 75.* Huc addi possunt etiam exempla Jacobi, qui timet Esau; Eliæ, qui fugit à facie Jesabelis; Mosis, qui ab Ægyptiis.

Ratio 1. Hujus autem in eis metus causa est; i. Magnum periculum, quod sibi imminere vident, ita ut nesciant quid agant. Hoc patet ex exemplis jam adductis, Jacobi, Eliæ & Mosis.

Ratio 2. Ab altera parte, quia vident magnam imbecillitatem suæ fidei. Probat hoc Petrus exemplo suo, qui videns ventum validum, timuit, & quum cœpisset demergi, clamavit, dicens: *Domine, serva me, Matth. 14. v. 30.* Idem apparet in aliis discipulis, *Matth. 8. 26.* *Quum enim navis operiretur fluctibus, timuerunt, ut eos Dominus objuraret, dicendo: Quid timidi estis, ô exigua fidei præditi!*

Ratio 3. Tertio, quia pientissimi quique homines obnoxii sunt affectibus humanis, ut gaudio, iræ, timori, amori, &c. Ipse Dominus nonne timuit, ut diceret: *Undiquaque tristis est anima mea usque ad mortem, Matth. 26. 38.* Imò, ut sanguineo sudore sudaret, & opus haberet confortatione angelica, *Luc. 22. v. 43.*

*Casus
Consci-
entia;*
1.

Questio 1. Quomodo hæc doctrina locum habet cum eo, quod David dicit *Psal. 23. 4.* *Etiamsi quum ambularem per vallem lethalis umbræ, non timerem malum?* Respondeo: Quanquam fideles aliquando timent & expavescunt: tamen hæc verba Davidis verissima sunt etiam in iis: non enim

enim timent ne eos Deus deserat, quin potius certi sunt de finali liberatione. Adde, quum fideles dicuntur non timere, exprimitur eorum animi fortitudo & constantia, quæ potest in iis inveniri, etiamsi aliquando caro eorum infirma extimescat. Hujus autem timoris qui pro-

cedit ex carnis infirmitate hæ sunt notæ: 1. Quod non recusant omninò obedire Domino Christo, licet aliquando tergiversentur, tamen ad officium redeunt: quod clarum est exemplo Ananiam hujus, ut postea videbimus: & Petri, Job.

21. 15. &c. 2. Quod nunquam finaliter resistunt Domino. *Questio 2.* Cur verò Deus nunquam talem eis permittit metum? *Respon-*

deo: 1. Ideo, ut eo facilius possint videre suam naturalem imbecillitatem; ac proinde ut occasionem habeant coram Deo se humiliandi. Homo enim natura ita est excacatus, ut quid sit, & quantum possit non videat: unde mirum in modum superbit, & nescio quæ suis viribus promittit. Quocirca opus est, ut Deus hac ratione nobis oculos, quo fragilitatem videant, aperiat. Gentiles non malè notitiam sui ipsius magnæ sapientiæ loco reputarunt. Unde Delphis in templi Apollinis porta aureis fuit scriptum litteris: NOSCE TE IPSUM. 2. Deinde, ut ostendat suam vim & potentiam perfici in humana infirmitate, ut ipse Christus loquitur, 2. Cor. 12. v. 9.

Potentia mea per infirmitatem consummatur.

Nota
metus ex
infirmitate car-
nis pro-
fecti;

Casus
Conscientiæ;
2.

Uſus 1. Itaque ut rectè monet Apoſtolus, *1. Cor. 16. 12.*
Inſtitum. *Qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat.* Quod accidere ſolet potiffimum iis, qui nimium ſibi de ſua animi fortitudine & conſtantia pollicentur. Quam primum enim ventus aliquis adverſus tentationem afflaverit, non tantum timent, ſed etiam aliquando Chriſtum abnegant, uti Petrus, qui eſſi dixerit: *Etiamsi mori me oporteat tecum, non tamen te abnegabo.*

Uſus 2. Interim verò, quanquam tanta eſt fragilitas
Conſola- humana, tamen non eſt cur desperes & ancho-
tionis. ras abjicias: quin potius etiam in medio ejuſ-
Argu- modi metus, qui te occupaverit, te conſolare
menta his argumentis: 1. Quia diverſi ſunt gradus
ſolatii. Chriſti in nobis habitantis, & diverſi gradus
 1. Chriſtianorum. Quidam enim ſunt debiles,
 alii juniores, alii adhuc infantes: ideoque
 quum hæc omnia probè perſpecta habeat Do-
 minus, non exiget à nobis plura, quam cujuſq;
 fert ætas. 2. Quod jam non ſumus ſub jugo
 legis rigidæ, ſed ſub gratia Euangelii, *Rom. 6. 14.*
 3. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* 3. Reperamus
Bonita- memoria ſæpius magnam bonitatem Dei no-
tis Dei ſtri. Nam *primò*, non repellit à ſe meticuloſos,
ſpecies. ſed in gratiam recipit. Certè licet Ananias me-
 1. tum periculi prætenderet, tamen ideo à Domi-
 2. no non fuit rejectus. *Deinde*, facilis eſt ad re-
 mittendum nobis peccata noſtra, ut *Pſal. 103. 3.*
 4. David loquitur. 4. Sciamus certò, Deum nos
 confirmaturum ſua gratia, ne jam amplius me-
 tuere poſſimus.

Ipsum periculum & persecutio Sauli est in verbis: *quot malis affecerit*. Non absque causa igitur ipse de se pronuntiat, se fuisse persecutorem, *1. Tim. 1. v. 13.* id est, quod non tantum adjuvaret morte afficere Stephanum, sed quod talia saepius patraret. Observemus hic magnam Ananiae modestiam, in loquendo, de suo capitali & jurato hoste, Saulo: non dicit, pessimus est iste homo, nequam est & nebulo: sed tantummodo primò nominat eum virum; deinde simpliciter dicit eum malis multis afficere discipulos Domini.

Atque hæc est natura omnium fidelium, qui de suis hostibus & inimicis loquuntur modeste & sine affectibus: etiamsi malis afficiantur ab eis, tamen illis non irascuntur, sed potius injurias sibi illatas patienter ferunt. Stephanus moriens, orat pro eis, *Act. 7. 60.* Domine, ne statuas eis hoc peccatum.

Object. Atqui quidam sanctorum modestiam hanc non videntur observasse: nam & cum affectibus eos objurgabant, & eis mala imprecabantur. Stephanus ita adversarios suos alloquitur, *Act. 7. 50. 51.* Duri cervice & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui illi Sancto obnitimini: quales fuerunt patres vestri, tales & vos estis. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? trucidarunt inquam, eos, qui prænuuntiarunt adventum Justii illius, cujus nunc vos proditores &

II.
Propositi-
tio Sauli
persecu-
tionis.

Doctr.
Fideles
de suis
hostibus
& ini-
micis mo-
deste lo-
quuntur.

Object.

interfectores facti estis. Paulus Ananiae Pontificis summo ait, *Act. 23. 3.* *Futurum est, ut percutiat te Deus, paries dealbate.* Deinde res certa est, Prophetas interdum imprecatos fuisse suis inimicis; ut Elifaus maledixit pueris, qui eum conviciabantur, *2. Reg. 2. 24.* David saepius in suis Psalmis; *Psal. 69. 24.* *Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant: & fac ut lumbi eorum jugiter nutent.* Psalmus 109. plenus est ejusmodi imprecationum. Petrus maledixit Simoni Mago, *Act. 8. 20.* *Pecunia tua tecum pereat.* Paulus Elymae, *Act. 13. 10.* *Plene omni dolo, fili diaboli, hostis omnis justitiae.*

Resp.

Respondeo, 1. In genere. Sancti cum imprecabantur, non respiciebant suam causam aut suas injurias privatas: sed causam Dei: nimirum, quod per impios gloria Dei impediabatur: quo respectu contra illos orabant; ut David contra Achitopholem, ut Deus dissolveret consilium ejus: qui tamen David in sua privata causa patiens fuit; ut cum ei malediceret Semei, quid ait? *Sine, inquit, eum, nam Dominus eum jussit.* 2. Certum Sanctos id fecisse ex speciali vocatione & instinctu Spiritus S. De quo *Aug. lib. 16. cont. Faustum c. 22.* ait: Tales maledictiones non sunt de malo voto imprecantis, sed de praescio Spiritu denuntiantis. 3. Non faciebant hoc ex cupiditate vindictae, sed zelo justitiae. 4. In specie, quod Paulum attinet, qui Ananiam parietem vocavit dealbatum, responderi potest, 1. Paulum nescivisse eum fuisse summum Sacerdotem:

cerdotem: cujus rei ratio est & diuturna absentia Pauli ab hac civitate Hierosolymitana, & tumultuosa hæc congregatio, ita ut Paulus non habuerit tantum otii, ut quis ille fuerit inquirere possit. Quod si verò *dicat*, eum potuisse discerni ab aliis loco, vestitu Pontificali & reverentia ipsi exhibita; responsio ad hæc facilis est. Nam vestitu Sacerdotis maximi vestiri non erat in usu nisi in Templo: & quia tumultus iste confuse erat excitatus, parum ei reverentiæ fuit exhibitum: ita ut nec locum aliquem præ cæteris occupasse existimandus sit, quia Tribunus Romanus aderat. 2. Augustinus, Beda & Beza non malè observant non fuisse hanc imprecationem, sed potius prædictionem Dei poenarum, quæ supervenire debebant illi ambitioso & injusto Sacerdoti.

Questio: Ergone nobis etiamnum hodie licitum est aliquando uti similibus imprecationibus? *Respondeo*, omninò; modo observemus has regulas, quæ Christianorum in ferendis injuriis conservant modestiam. 1. Ut sit in causa publica, in causa Dei & Ecclesiæ, non privata. 2. Ut simus certi, nos hoc facere instinctu Dei Spiritus. David erat Propheta, & quidem hoc testimonio ornatus, quod fuerit vir secundum cor Dei; Stephanus vero erat plenus Spiritu S. *Actor. 8. 9.* 3. Ne sit imprecatio nisi contra homines desperatos, incurabiles, & deploratos, contra hostes Dei & pietatis. Ubi hæc conditio-

Questio

Respons.

In quibus casibus licet hostibus mala imprecari?

1.

2.

nes locum non habent modestia & patientia utuntur fideles, idque ideo ;

Ratio

doctrina

1.

1. Quod in eo vident sibi præire Dominum Christum, cujus actiones sciunt esse suas institutiones: ideóque etiam imitandas. Jam vero quomodo Christus egerit, Petrus liquido docet, *1. Epist. 2. v. 22. 23. Qui, inquit, non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ipsius. Qui convitiis affectus, non vicissim convitiabatur, quum malis afficeretur, non minabatur: sed committebat causam suam ei qui justè judicat.*

Ratio 2.

2. Qui sciunt expresse ejusmodi modestiam & patientiam esse Christianis mandatam, imò jubentur diligere inimicos suos, atque orare pro illis, *Matt 5. 44. Diligite inimicos vestros, benedicite eis qui devovent vos, benefacite eis qui oderunt vos, & precamini pro iis qui vobis infesti sunt, & persequuntur vos, Rom. 12. 20. 21. Itaque si esurrit inimicus tuus, ciba eum: si sitit, da ei potum.*

Ratio 3.

3. Quia sciunt eos sibi non nocere: cur ergo eis succenseant? quo magis persequuntur Ecclesiam, eo magis eam promovent: non secus faciunt, quam si quis velit sufflando ignem extinguere. Vide *Act. 8. 1. 2. 3.* Quum enim hos ejciant Hierosolymis, Evangelii lumen in pluribus locis ipsimet accendunt. Imò quum morte eos afficiunt, in cæloseos promovent.

Ufus Instituit.

Examinemus igitur nos etiam an simus hac natura Ananiae & aliorum fidelium præditi? Num patienter ferimus injurias nostras nec ne?

ne? Sed ô quam pauci patientes! Unde vero hoc? 1. *Non considerant* ejusmodi impatientiã *Impedi-*
 & privatæ vindictæ cupiditatem, esse magnum *menta*
 peccatum. Nam primò impatientia eviden- *Patien-*
 tissimo est argumento diffidentia, & est iræ ef- *tis. 1.*
 fectus, qui est prohibitus præcepto, *Non occides:*
 est documentum animi impotentis, nescientis
 sibi imperare. Deinde omnis vindicta privata
 est interdicta. *Rom. 12. 19. Non ipsi vosmet ulciscen-*
tes dilecti: sed date locum iræ: scriptum est enim:
meum est ulcisci, ego rependam, dicit Dominus. Ter-
tio, ejusmodi ingerunt se in officium magistra-
tus, imò ipsiusmet Dei, uti patet ex loco ad
Rom. 12. citato. 2. Provenit hoc etiam inde quod
 non considerant quam multos reportant fru- *2.*
 ctus patientes: illi autem exprimuntur, *Pf. 37. 11.*
Mansueti hereditario jure possidebunt terram &
oblectabunt se in multitudine pacis, Matt. 5. 5. Beati
qui sunt mites: quoniam ipsi terram hereditario
jure obtinebunt. & v. 10. 11. 12. Beati quos persecun-
tur homines justitiæ causa: quoniam ipsorum est re-
gnum cælorum. Beati eritis quum vos convitiis af-
fecerint, & persecuti fuerint, & mentientes dixe-
rint quidvis mali adversus vos, propter me. Gaude-
te & exultate: quoniam merces vestra multa est
in cælis.

Has promissiones quicumque vult assequi, *Hortatio*
 opus habet illa Christiana patientia & mode- *ad Pa-*
 stia, uti loquitur Paulus, *Heb. 10. 36. Tolerantia*
vobis est opus, ut voluntati Dei obsequuti reportetis *Motiva*
 M 5 *promis-*

promissionem. Ad quam modestiam & patientiam hæc nos excitent; 1. Quia tribulatio est

1. communis res omnibus bonis.
2. Quia nihil accidit sine providentia Dei; nulla est afflictio quam ille ignoret: ideoque contenti esse debemus beneplacito patris nostri cœlestis.
3. Quia Deus est iustus, nostra vero peccata promeruerunt hoc, quicquid nobis est impositum, imò plura & graviora.
4. Quia magna est misericordia Dei, quæ nos non sinit affligere secundum magnitudinem peccatorum nostrorum: sed in puniendo nos meminit suæ misericordiæ, *Lam. 3.22 Summæ benignitatis est Jehovæ, quod non sumus absorpti: quod non sinitur miserationes ejus.*
5. Quod non imponet nobis plura quam ferre possimus, *1. Cor. 10.13. Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari supra id quod potestis, sed una cum tentatione, præstabit etiam exitum, ut possitis eam sustinere.*

Media ad patientiam. Object. Resp.

Qui autem hac patientia vult esse præditus, oportet ut erga inimicos suos benè sit affectus eosque diligat. *Dices: Grave & difficile est hoc præceptum! Respondeo: Est quidem, sed tamen omnino Christianis exequendum.* Unde eleganter Chrysost: *Diligere amicos suos, philosophici viri est: at diligere hostes suos, istud angeli est.* Imò vero in eo non tantum sumus æquales Angelis, sed ipsi Christo, qui oravit pro suis crucifixoribus. Et certè, quod in prophanis historiis legimus, pudorem nobis inculcere debe-

ret. Nobilis ille civis Atheniensis condemnatus ad mortem injustè quum cicutam esset bibiturus, quærebatur à suis amicis, quid vellet renuntiari filio suo? Tunc respondit: mando ei hoc, ut obliviscatur potus hujus, *Alian. l. 12.* Cicero pro Gabinio publicè egit causam, quam prius fuerit ab eo pulsus civitate: & pro Vatino bis, qui licet semper Ciceronis fuerit inimicus, *Val. Max. l. 4. c. 2.* Sed quid opus est exemplis exoticis, quum domestica habeamus excellentiora? Nam David nonne dilexit inimicum suum Saulum, cui pepercit, licet bis potuerit ei vitam adimere, semel in spelunca, altera vice in castris? *1. SAM. 24. v. 26.*

D E T E R T I O.

Objectum persecutionis Sauli exprimitur verbis istis: *quot malis affecerit sanctos tuos Hierosolymis.* Tria hic notat: 1. Quod illi quos Saul persecutus fuerit, fuerint sancti: intelligit autem fideles per Christi sanguinem redemptos, & sanctificatos per Spiritum Sanctum. Sunt autem quidam verè tales, nempe electi ad vitam æternam: quidam verò ita appellantur ex charitate Christiana, *1. Cor. 6. v. 11. Hæc eratis quidam: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Ad Corinthios in genere loquitur, quum tamen sine dubio quidam essent non abluti, nec sanctificati, nec iustificati. 2. Quod illi fuerint Christi. 3. Quod habitarent Hierosolymis, urbe illa præclara, in qua tamen

III.
Objectum
persecutionis.

tamen inventi fuerunt persecutores : ut doceamur vel obiter, etiam in civitatibus illis, quæ videntur præ se ferre cultum Dei, nonnunquam inveniri persecutores Ecclesiæ Dei. Sed videamus etiam alias doctrinas.

Doctr. I. *Prior est:* Omnes Christiani qui manifestè *Christiani, qui non sunt manifestè impii, possunt vocari Sancti.* non sunt impii, possunt vocari Sancti. Ita hic Ananias vocat eos sanctos ex charitate Christiana, quæ omnes tales esse credit: quia nemo potest scire certo de alterius electione, nisi manifestè sit impius. Solius Dei est opus inspicere corda & interiora hominis, in quibus vera sanctitas residet. Charitas ergo potius omnes Sanctos nominat, quorum apertam non videt impietatem, quam de aliquo temere iudicat: quod Christus interdixit, *Matt. 7. 1. Ne iudicate, & non iudicabimini.*

Ratio I. Hujus autem tituli omnium Christianorum communis fundamentum est; 1. Quia finis electionis nostræ est sanctitas, *Ephes. 1. 4. Deus elegit nos in Christo ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpata in conspectu ejus cum charitate.* Sanctitas est fructus electionis: electio est causa sanctitatis, & mater: sanctitas est filia & effectus: ideo sumus sancti, quia sumus electi; non autem ideo electi, quod fuerimus sancti: interim tamen non ideo quidam sunt impii & non sancti, quia non electi. Prius enim erant impii jam, antequam electio fieret. Quod autem quidam non sint sancti, causa est in voluntate

luntate eorum prava & corrupta natura. Electio vocatur mater sanctitatis, recte: quia est mater fidei & omnium donorum spiritualium. Hinc Apostolus non dubitavit dicere, *Act. 13. 48.* *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Quem Lutherus sequutus, inquit, *in præfat. Epist. ad Rom. Ex electione fluit, qui credere vel non credere debeant.*

Alterum fundamentum, quia sibi applicant Ratio, 2. per fidem justitiam & sanctitatem Christi, qui ideo nobis factus est sapientia à Deo, justitiaq; & sanctificatio & redemptio, *1. Cor. 1. 30.* Justitia autem hæc & sanctitas Christi est effectus Christi obedientiæ activæ: qua legi divinæ conformem vitam egit, omnibus ejus præceptis perfectè adimpletis: unde dicitur dolus in eo non fuisse, *Es. 53. 9.* Non novisse peccatum, *2. Cor. 5. 21. 1. Pet. 2. 22.* & alibi. Hujus justitiæ Christi per fidem applicatio non minus est necessaria ad salutem & redemptionem, ac veram illam Deo placentem sanctitatem, quam obedientiæ passivæ. Uti enim Christus non pro se mortem tulit, sed pro nobis: ita nec legem divinam implevit pro se, verum pro nobis. Et uti à morte æterna liberati sumus morte Christi: ita donamur vita æterna ob justitiam & sanctitatem Christi nobis imputatam. Atque inde est, quod Christus non solum pro nobis se in mortem obtulit, sed etiam pro nobis se sanctificavit, ut simus in veritate sanctificati, *Joh. 17. 19.*
Quia

Quia igitur hanc Christi iustitiam omnes presumuntur ex charitate sibi applicare, rectè sancti vocari possunt.

Usus
Hortationis.

Questio.
Respon.

Hec eo nobis jam inservit, ut studeamus esse in numero non tantum qui nomine & ex charitate Christiana sunt sancti: sed etiam qui vere sunt tales. Si dicis, quid vero est studere sanctitati? respondeo, est pœnitentiam agere & credere Euangelio, Marc. 1. 15. Est mori peccatis & resurgere ad novitatem vitæ, Rom. 6. 1. 2. 3. 4. Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato ut gratis auctior fiat? Absit: qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum, in mortem eius esse baptizatos? Consepulti sumus igitur ei per baptismum in mortem: ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nova vitâ ambulemus.

Quid
nos move-
re de-
beat ad
vitâ san-
ctitatem.

1.

2.

Quia vero valde ignavus est homo ad hanc Christianam sanctitatem, quilibet excitare se debet his argumentis; 1. Expresso mandato divino, 1. Thess. 4. 3. Hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestri. Ephes. 2. 10. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Jesu, ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in eis ambulemus: ubi nota, non quod Deus præparaverit opera, sed homines ad opera. 2. Deinde quem non moveat necessitas hujus sanctitatis? quam Christus exprimit, Joh. 3. 5. Amen, amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus iterum, non potest videre regnum Dei. Et Aposto-
lus,

Ius, Hebr. 12. 14. *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam; sine qua nemo videbit Dominum.*

3. Et quis non faciat suum officium? Nam, 3.

Rom. 8. 12. *debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: sed spiritui.* 4. O dulcissimas 4.

promissiones sanctitati factas! 1. Tim. 4. 8. dicitur esse utilis ad omnia: & habere promissiones hujus & futurae vitae. Quia vero hoc non est in nostra *Medium*

manu, sed Dei, ideo ad eum recurramus: non *perveni-*
possumus nosmetipsos sanctificare, non minus *endi ad*
quam nos ex mortuis excitare: ideoque voca- *sancti-*
tur nova creatio: sed ejus est hoc opus pro- *tatem.*

prium. Ezech. 37. 28. *Et cognoscant gentes me Je-*

hovah sanctificare Israël, quum erit sanctuarium

meum in medio ipsorum in seculum. Tit. 3. 5. *Non*

ex operibus justis quae fecerimus nos, sed ex sua mi-

sericordia servavit nos per lavacrum regenerationis

Spiritus sancti.

Posterior Doctrina est hæc: Veri Christiani & *Doctri-*
qui ob Evangelium persecutionem patiuntur *na 2.*

sunt Christi. *Quot m. lis affecit, inquit Ananias,* *Qui pa-*
sanctos tuos. Eleganter loquitur Paulus in hanc *timetur*
materiam, Rom. 14. 7. 8. Nullus enim nostrum sibi ipsi *ob Eu-*
vidit, & nullus sibi ipsi moritur. Nam sive vivimus, *angelis,*
Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. *sunt*

Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus. *Christi.*

Ex eo autem, quod sunt Christi, sequitur, eos

esse etiam Dei: nam Christus & Pater unum

sunt, 1. Cor. 3. 23. *Omnia vestra sunt; vos autem*
Christi, Christus vero Dei. Hinc Deus dum con-

solatur

solatur suos eo etiam utitur argumento, quod sint ejus, *Esa. 43. 16. 17. Audi Jacob serve mi, & Israël quem eligi. sic ait Jehova qui fecit te, & formavit te ex utero, adjudaturus te, ne timeto serve mi Jacob.* Ita Christus ipse quoque eos dicit esse Patris sui, *Joh. 17. 9. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Sed hoc Spiritus S. non tantum expressè affirmat, verum etiam illustrat similibus, ut quã arctè sit hæc filiorum Dei cum eo affinitas perspiciatur: uti simili sponsi & sponsæ, *Ose. 2. 19. 20. Desponsabo te mihi in seculum: desponsabo te mihi, inquam, justitia, judicioque, & benignitate ac misericordia. Et desponsabo te mihi fide, ut agnoscas Jehovam.*

Ratio 1. At unde hoc est quæso, quod fideles sunt Christi? Inde: 1. Quod seipfos ejus cultui & servitiis tradiderunt ac manciparunt. Nam qui Christum suum dominum agnoscit & recipit, statim agnoscit se ejus esse servum, qui illi obedientiam debeat. Hinc Christus jubet gentes baptizare in nomen suum, *Matth. 28. 19.* id est, in cultum suum: & *Psal. 2. 10. 11.* jubentur Reges Christo servire. Unde jam certò consequitur, eos qui ei non serviunt, non esse ejus.

Ratio 2. 2. Quia ipse Christus eos sibi redemit. Qui apud veteres alios redimebant, servos jure eos sibi appropriabant. Quam ob causam Domini in eos jus vitæ & necis habebant. Optimo ergo jure nos sumus Christi, quos redemit à servitute

servitute aeterna, & constituit in libertate filiorum Dei. Non alio respectu Paulus dicit & spiritum & corpus nostrum esse Dei, 1. Cor. 6. 20. *Empti estis pretio: glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quae sunt Dei.*

3. Quia eos Christus diligit, Joh. 13. 1. *Sciens Ratio 3.*
Jesus venisse horam illam digrediendi ex hoc mundo ad patrem, quum dilexisset suos illos qui erant in mundo usq; ad finem dilexit eos. Certè nisi nos Christus amet, ejus esse non possumus. Hic ejus amor est primus fons & origo omnium beneficiorum ejus in nos collatorum. Ex hoc amore fluit, quod in eum credamus, quod eum colamus, quod ab eo simus redempti.

4. Quod ejus populus sumus: ut ipse loquitur, Ose. 2. 23. *Miserebor Lo-ruchamae, & dicam ipsi Lo-hammi, populus meus es: & ipse dicet, Deus mi.* Ratio 4.

5. Quod Christo dati sumus à Patre: prouti Ratio 5.
 ipse Dominus testatur, Joh. 17. 6. *Manifestum feci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi selectos è mundo; tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servarunt.*

Gaude igitur & exulta ô anima Christiana, *Usus*
 ideò quod sis Christi propria! ô te terque qua- *Consola-*
 terque beatam! summa enim habes privilegia, *tionis.*
 quibus non gaudent infideles. 1. *Qui sunt*
 Primo namq; *Christi,*
 ô homo Dei electus es ad possidendam hære- *hæc ha-*
 ditatem coelestem: quam tradet tibi Dominus *bent pri-*
 tuus in die extremo, dicens: *vilegia.*
Matt. 25. 34. Adeste
benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis

à jacto mundi fundamento. Tunc audies verba illa,
 ibid. v. 21. *Bene est serve bone & fidelis: in exiguo
 fuisti fidelis, super multa te constituam: ingredi in
 2. gaudium Domini tui.* 2. *Es templum Spiritus S.*
 3. *1. Cor. 3. 16. An nescitis vos esse templum Dei & spi-
 ritum Dei habitare in vobis?* 3. *Habes liberum
 aditum ad Patrem, 1. Joh. 3. 21. 22. Dilecti, si cor no-
 strum nos non condemnet, libertatem loquendi ha-
 bemus apud Deum. Et quicquid petierimus, accipi-
 mus ab eo, quoniã præcepta ejus observamus, & quæ
 4. in ipsius conspectu placent facimus.* 4. *Habes om-
 nium tuarum afflictionum sanctificationem,
 internarum & externarum. Omnia hæc necesse
 est, ut cooperentur tibi in bonum, teste Apосто-
 lo, Rom. 8. 28. Novimus autem, iis qui diligunt Deum,
 5. omnia simul adjumento esse in bonum.* 5. *Nulla est
 jam tibi amplius condemnatio, Rom. 8. 1. Nulla
 igitur nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo
 Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sed se-
 cundum spiritum. Nihil potest esse hac consola-
 tione gratius & dulcius. Hæc est illa panacea
 contra omnes adversitates. Veniat tentatio, ni-
 hil efficiet; quia sum Christi & Dei, qui non
 sinet me tentari supra vires meas. Veniat jam
 persequutor & adimat mihi omnia bona, ipsam
 etiam vitam, non moror: quia sum Christi, quæ
 dum habeo, possideo omnia. Veniat Diabolus,
 repelle eum, ô anima, dicens; nihil tu in me ju-
 ris habes, Christi Domini ego sum. Num quis
 potest extraneus regium servum in ejus regno
 injuria*

injuria afficere? Neuriquam, sufficiet, si dicat, Regius ego sum servus. Ita hoc nostrum sit unicum solatium, quod simus Christi. Ut autem certus sis, hanc consolationem etiam ad te pertinere, examina te ipsum secundum hæc signa & characteres. Nam qui sunt Christi, illi serviunt ei secundum ejus voluntatem & præceptum. Non enim omnis cultus ei exhibitus, est ei gratus; sed is qui ab eo est præceptus. Colas eum sumptuosissime, difficillime, laboriosissime, & splendidissime, frustra es: ni id ille ipse præcepit; audi nunc quid dicat Christus, *Matth. 15. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Et audies postea, *Isa. 1. 12. Quis quæsit hoc à manu vestra, ut conculcatis atria mea?* Ingratum Deo fuit sacrificium Sauli, licet ex opimis spoliis, *1. Sam. 15. 22. An delectatur Jehova holocaustis & sacrificiis, ut quum auscultatur voci Jehovæ?* Cave ergo quicquam aggrediare in ejus cultu, non tantum contra, sed etiam præter ejus voluntatem.

Signa eorum, qui sunt Christi.

1.

2. Alterum signum est certitudo quam nos oportet habere quod Christus etiam pro nobis mortuus sit. Hoc autem deprehendimus ex duobus; 1. Si in nobis sentimus pacem & tranquillitatem bonæ conscientie. Sciendum est autem, non omnem tranquillitatem animi esse signum bonæ conscientie. Nam in impiis etiam aliquando ea reperitur, sed ad tempus: dum nimirum eorum conscientia dormit & quasi sepulta jacet;

2.

Quomodo cognoscere utrum Christus pro me est mortuus?

1.

Quænam
est bona
consci-
entia?

cet; nec vigilare potest ob voluptates hujus sæculi. Pax ergo bonæ conscientiæ est ea tranquillitas, quæ provenit non ex abundantia rerum temporalium, ut pacis, divitiarum, honorum, amicorum: nam hæc sunt propria hominum mundanorum, *Psalm. 4. v. 8. Indas lætitiæ animo meo, majorem quam temporis, quo frumentum istorum, & mustum istorum percipiuntur ab ipsis copiose.* Ideoque si hæc cessant, statim illi tristantur: *Verum ex consideratione rerum spiritualium, electione, fide, justificatione, remissione peccatorum, adoptione in filios Dei, denique vitæ æternæ.* Atque ideo fideles, etiam si nihil rerum mundanarum habeant, imò fame moriantur, in carceribus pereant, in ipsa denique cruce & morte lætari non desinunt: quam ob causam Paulus hanc pacem dicit superare omnem intellectuum, *Phil. 4. 8. 2.* Si in nobis invenimus fidem & bona opera. Fides planè latere nequit, sed prodit se quocumque tandem modo, quemadmodum ignis. Fidem autem te habere deprehendes ex bonis operibus. Hæc enim sunt inseparabiles ejus comites, vel pedissequæ. Uti certus es de radice, licet eam non videas, quia sub terra latet, si arborem vides supra terram: ita charitas certum est fidei argumentum, quæ radices intus agit in corde nostro.

3.

3. Tertium signum est, amor Christi, quo eos complectitur. Hunc autem ejus amorem erga se cognoscunt fideles; 1. Ex eo, quod eos

eos castiget, *Hebr. 12. 6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem quemcumque filium agnoscit.* 2. Ex perseverantia sua apud eum usque ad mortem. 3. Ex singulari quodam gaudio suae conscientiae, quod tantum est, ut ne afflictionibus quidem deleri possit. Ad illud hortatur Apostolus, *Phil. 4. 4. Gaudete in Domino semper, rursus inquam, gaudete.*

VERSUS XIV.

Quin etiam hoc loco habet potestatem à principibus sacerdotum, vinciendi omnes qui invocant nomen tuum.

EXPLICATIO.

HActenus explicavimus priorem rationem, qua Ananias periculum sibi posse oboriri confirmavit, *v. 13.* Sequitur altera hoc versu, nempe, quod Saul habuerit potestatem persequendi etiam Damasci. Hoc autem ita tractat;

1. Proponit illud, nempe suam rationem.
2. Monstrat, à quo habuerit illam potestatem Saul?
3. Quali potestate fuerit instructus?
4. Quos fuerit persequutus, vel super quos ei data fuerit illa potestas?

DE PRIMO.

Rationem illam proponit his verbis; *Quin etiam hoc loco, nempe Damasci, habet potestatem:* i. Rationis propositio, q. d. non tantum alibi in pluribus locis, sed etiam hic. Sparsus ergo fuerat rumor per varia loca

loca de Saulo & ejus persecutione, ut deinde ejus conversio eo esset gloriosior.

Doctrina.

*Impii u-
sui pant
sibi pote-
statem in
pios &
fideles.*

Notemus autem hic impiorum & persecutorum Ecclesiæ Dei proprietatem, quæ talis est, ut sibi adscribant & usurpent potestatem cum in alias res tum in homines pios & fideles. *Saul* noster habuit potestatem talem in discipulos Domini. Acceperat autem illam à principe tenebrarum. Impii non possident legitimo jure ullas res in mundo, nec sunt veri ejus possessores; sed tantummodo usurpatores. Veri autem possessores omnium rerum sunt soli fideles, eorum est illud privilegium proprium, *1. Cor. 3. 22. Omnia vestra sunt, Et Paulus, & Apollos, & Cephas, & mundus, & vita & mors, & presentia & futura: omnia, inquam, vestra sunt.* Soli enim illi sunt semen & posteritas Abrahamæ, cui promissio hæc hæreditatis facta est, teste Paulo, *Rom. 4. 13. Non enim per legem promissio cessit Abrahamo aut semini ejus: ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Ideoque soli fideles possunt rebus hujus mundi cum bona conscientia, tanquam pignoribus vitæ futuræ frui. Totus hic mundus fidelibus in bonum est conditus: ideoque impii injustè in eos jus & potestatem exercent. Considera Cainum qui occidit *Abelem* justum; *Jacobum* fugat *Esau*; *Saul* impius rex Israëlitarum octoginta quinque *Sacerdotes* Domini interfecit, *1. Sam. 22. 18.* Seniores populi Judaici *Apostolis* interdunt concionibus habendis, grassantur in eos, in car-

in carcerem conjiciunt, flagellant, at maxima injuria; quam tum statim eis Apostoli exprobrant, dicentes, *Actor. 5. 29. Obedire oportet Deo potius quam hominibus.* Sic alii alios regnis & provinciis ejiciunt: alii ad religionem cogunt, dominium exercendo in conscientias hominum: quæ tamen nulli hominum subjiciuntur, sed soli Deo: quia is solus est scrutator earum, ideoque vocatur etiam pater spirituum, id est, animarum, *Heb. 12. 9.*

Consciencia soli Deo subiecta.

Non est autem adeo mirum, homines impios usurpare sibi potestatem in res hujus mundi & fideles; quandoquidem primo imitantur hac in parte patrem suum, qui etiam vocatur Dominus hujus mundi vel princeps, *Ephes. 6. 12.* Appellatur autem ita non ideo, quod sit Princeps vel dominus mundi, sed quod sibi hoc usurpet, ut patet ex tentatione, qua aggressus fuerat Christum verum Dominum & possessorem mundi, dicendo, *Matt. 4. 9. Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.* Ubi insigni usus est fallacia. Promittebat Christo totum mundum, quem dare non in ejus erat manu: nec presentabat nisi ideam aliquam imaginariam. Num enim quis potest videre ex uno aliquo monte omnia regna mundi, qui rotundus est? Et quod sibi usurpaverit potestatem, non autem habuerit eam, uti præ se tulit, ex eo patet, quod mundus adhuc consistit & in eo homines. Tanto n. odio ille flagrat erga creaturas Dei, & imprimis

Ratio

I.

homines, ut si haberet potestatem, jam dudum
Ratio 2. cœlum cum terra miscuisset. Deinde, provenit
 hoc in illis ex summa superbia, ambitione, &
 desiderio dominandi.

Ufus

Instituit

Quomodo

se gerat

contra vim,

quam

exercent

in pios?

Patienter.

Motiva;

1.

2.

Si igitur hodie etiam similia fieri videamus,
 offendi nulla ratione debemus: nec putare illos
 rectè facere, aut Ecclesiam Christi esse: minime
 vero; ecce enim talem potestatem sibi tribuit
 Saul, qui tamen Ecclesiæ Dei persecutor fuit.
 Interim vero illi qui huic potestati subjiciuntur,
 patientes esse decet, & se sustentare illis; 1. *Quod*
 illa potestas non est eorum propria, imò nec il-
 lis sit data, sed quod illi eam sibi usurpent. *Quis*
 eam illis dedit? non Christus, qui suos non vult
 regnare in hoc mundo. 2. *Quod* veniet tempus,
 quo iis in totum illa potestas & vis auferetur.
 Hanc Metamorphosin Dominus promittit, *Job.*
16. 20. 22. Amen, amen dico vobis flebitis vos, & la-
 mentabimini, mundus autem gaudebit: vos vero tri-
 stes eritis, sed tristitia vestra evadet in gaudium.
Vos igitur nunc quidem tristitia tenemini: sed rur-
 sum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium
 vestrum nemo tollet à vobis. Dives hic luxuriatur,
 Lazarus contemnitur: in altera vita hic in sinu
 Abrahami requiescit, ille tormenta patitur in
 inferno. Impii hic regnant, nos subjecti sumus
 injuriis: ibi illi subjecti erunt pedibus nostris.
 Illi hic ridet, nos flemus; ibi illi flebunt in æ-
 ternum, ah in æternum, nos vero gaudebimus
 in omnem perpetuitatem. Tunc illud promis-
 sum

sum implebitur, *Esa. 65. 13. &c.* Sic ait Dominus Jehovi: *Ecce servi mei comedent, vos autem esurietis; ecce servi mei bibent, vos autem sitietis; ecce servi mei letabuntur, vos autem erubescetis. Ecce servi mei canent præ hilaritate animi, vos autem clamabitis præ dolore animi, & præ contritione spiritus ejulabitis.* Vide etiam *Esa. 66. 10. 14. 3.* Quod nihil possunt sine permissione Divina. Jobum diabolus ne ulcere quidem potuit affligere, nisi prius à Deo emendicata venia, *Job. 2. 6.* *Jehova dicit satana: ecce eum in manu tua.*

DE SECUNDO.

A quo habuit Saul illam potestatem? *A sacerdotum principibus.* Ergo non à Deo. Sacerdotes illi erant in Ecclesia Dei Judaica primarii homines & membra, & tanquam capita. Ecclesia repræsentativa, quos omnes observabant & reverebantur: quorum consiliis & factis omnes acquiescebant, ad omnia respondendo, amen. Nihilominus tamen eos vides, non obstante hac tanta prærogativa & autoritate, esse Ecclesiae Dei persequutores.

Atque idem sæpius accidit, ut ii, qui deberent esse Ecclesiae Dei amici, sint ejus hostes & inimici: qui deberent esse gregis domini pastores, sunt lupi rapaces: qui deberent esse defensores, sunt tyranni: quod exemplo horum principum sacerdotum est clarissimum. De his senioribus Judæorum jure poterat dici, (nam sedebant in cathedra Moſis.) *Quis sanctos du-*

II.

A quo illam potestatem habuit Saul?

Doctrina. Sape ii, qui deberent esse Ecclesiae amici, sunt ejus inimici.

bitet esse (sunt verba Canonis Nos, Nos, Decreti Rom. 40. Distinct.) quos apex tantæ dignitatis extollit? in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci prædecessore præstantur. Et tamen persecutione contra fideles instituta, impios se non sanctos esse demonstrant. Ita non ignoramus Regum imprimis esse munus amicos esse Ecclesiæ & patronos: attamen quid non mali fecit Achab Ecclesiæ? quid non ejus uxor Jesabel? Idem videm⁹ in Juliano Apostata & aliis Imperatoribus Ethnicis crudelibus, quibus Deus dederat gladium, quo Ecclesiam ejus defenderent: illi verò eo ipso usi sunt contra eam. Manasses ferrâ dissectuit Esaiam. Sed experientia omnium ferè seculorum satis jam docuit, eos qui primi volunt esse in Ecclesia, inimicos esse ejus. Quod unde proveniat, si quis ex me quærat, respondeo:

Ratio 1. 1. Inde, quod instructi sint magna potentia, & ornati magna gloria hujus mundi; quæ semper adversatur Ecclesiæ Dei. Non enim sunt vocati multi potentes, nec multi sapientes secundum carnem, nec multi nobiles, uti loquitur Paulus, 1. Cor. 1. 26.

Ratio 2. 2. Quod quum sint in magno honore & autoritate constituti, multa etiam pro illa sua autoritate constituunt: quæ quum sint contra Dei verbum stabilita & erecta, ab aliis Dei verbum observantibus tolerari nequeunt, sed reprehenduntur: quod illis est perquam molestum,

stum, videre nempe rejici & refutari suas traditiones & constitutiones.

Quis igitur jam adeo expertus erit rationis, ut dicat porro veritatem Ecclesiæ consistere in multitudine sacerdotum, Episcoporum summorum, quod nonnulli pleno ore clamitant: & veræ Ecclesiæ hanc notam nobis obtrudunt, nempe primarios Ecclesiæ homines, eorum prærogativas & magnificentiam: quum isti principes sacerdotum nos hic non obicure doceant, tales sæpenumero maximos esse Christi inimicos & hostes. Fuit aliquando Ecclesia vera & pura absque ejusmodi splendidis & pomposis Episcopis, tempore Patriarcharum & primitivæ Christianorum Ecclesiæ: & tamen fuit vera. *Quæres*: Quomodo vero ego cognoscam eos adversari Christo & ejus Ecclesiæ, qui se dicunt veram Apostolicam Ecclesiam? *Respondedo*: haud difficulter. *Primò* enim Christus non constituit in sua Ecclesia tales prælatos & dominos. Ita enim ipse loquitur, *Luc. 22. 25. 26.* *Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eos, benefici vocantur. Vos autem non ita estote: sed qui maximus est inter vos, esto ut qui minimus est: & qui ductor est, sicut qui ministrat.*

2. Quia adversantur & persequuntur non ut defendant veritatem Dei, & eam quæ est in S. litteris consignata, sed traditiones suas ab hominibus excogitatas. 3. Quod persequuntur ob illas res quæ à Deo sunt mandatæ; propter

lectio-

Usus refutationis.

Non est Ecclesiæ nota successio clarorum in ea virorum secundum mundum.

Questio. Quomodo cognoscendæ sunt veræ successores Christi? Discrimen 1.

2.

5.

lectionem Bibliorum & ejus impressionem, propter invocationem solius nominis Dei, sine imaginibus & intercessione sanctorum.

Obiectio, pro longa successione.

Respons. In quo vera successio consistit.

Obiicies: At succedunt alii aliis longa serie. *Respondeo:* successio loci alicujus & personarum nulla est nisi sit etiam simul successio doctrinae. Verissime *Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 6.* ait: *Non habet Petri hereditatem qui fidem Petri non habet.* Bernhardus certè conquerebatur de iis qui successione in Ecclesia hominum primatum habebant. Nam dicit: *Domine Jesu, ipsi sunt in persecutione tui primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere gerere principatum, Serm. 1. de Convers. Pauli.* Et ibidem; *Dissimulemus nos quoque necesse est & sileamus interim, maximeque de praelatis nostris, magistris Ecclesiarum.* Et ibidem: *Iniquitas progressa est à Senioribus, iudicibus, vicariis tuis.*

Obiectio alia.

Respons. Quomodo patres successione alle-gabant contra hereticos?

Obiicies adhuc; Veteres patres contra hereticos agebant etiam autoritate successionis virorum in Ecclesia principum, ut Tertullianus & Irenæus. *Respondeo:* Veteres Patres tantum eis opponerent successionem qui non admittebant scripturam, nec id quidem faciebant simpliciter, hoc est, non opponerent eis successionem personarum, sed successionem personarum docentium eandem doctrinam. *Athanas. in Synodo Nic.* contra Arianos; *Ecce nos monstramus successionem nostrae doctrinae à patribus in filios vel patres.*

DE TERTIO.

III. Qualis

Qualis vero potestas fuit data Saulo in fides?

les? *ut eos vinciret & vincētos duceret Hierosolyma:* *potestatem habuit Saul.*
ut eos ligaret, quemadmodum ligari solent ma-
lefici.

Vides hic tanquam in speculo quæ sit pio- *Doctri-*
 rum conditio in hoc mundo, habentur pro *na.*
 sceleratis: ideoque ita tractantur, atque ii qui *Conditio*
 pessimi sunt hominum. Petrus incarceratus, & *piorum*
 quidem ligatus catena, *Actor. 12.* Paulus in ca- *in terra*
 tena per urbem Romam ambulat. Andreas in *miserâ.*
 cruce pendet: uti & ejus Dominus, quem prius
 habebant pro seductore populi seditioso, *Luc.*
23. 1. 2. Adeo sunt contempti, ut indigni habe-
 antur, quibuscum res agatur, quibuscum con-
 versentur alii, &c. De hac piorum conditione
 misera ubique scriptura testatur, *Rom. 8. 36.* *Tui*
causa occidimur totum diem; reputati sumus velut
oves destinatæ mactationi, 1. Cor. 4. 9. Deus nos ut-
 timos Apostolos spectandos proposuit, *ut morti addi-*
ctos. Nam *spectaculum facti sumus mundo, & An-*
gelis, & hominibus, 2. Cor. 4. 11. Semper nos qui
 vivimus, morti tradimur propter Jesum; *ut etiam*
vita Jesu manifesta fiat in carne nostra mortali. Illi
 sunt qui propter Christum insignia habent
 crucem, ignem, aquam, gladium, &c. Misera
 est ergo piorum in hoc mundo conditio, id-
 que est ideo:

1. Quod non imitentur mundum, nec ejus *Ratio 1.*
 doctrinam, sed doctrinam Dei, cui doctrina hu-
 jus mundi est inimica. Cur enim habemur pro
 hæreticis? ideo quod non recipiamus eorum
 doctrinam.

doctrinam. Sed bene res habet: habemur pro hæreticis, at non sumus. Nam non illi sunt hæretici, qui non credunt quod Ecclesia Romana constituit, sed qui non credunt hoc quod credere Deus iussit; id est, qui in fundamento religionis errant & convicti sunt. Fundamentum autem religionis non sunt traditiones Ecclesiæ aut longa consuetudo, sed voluntas Dei revelata. Qui illa habet pro fundamento, in arena ædificat: qui hæc, in petra; illi ædificant stramen, quod comburetur; hi aurum, quod permanebit.

Ratio 2. 2. Quod fideles pessimè traducantur. Nam quales eos vulgo depingunt, tales à vulgo habentur. Gentiles de Judæis quid dicebant? quod suem & asinum adorarent: de primis Christianis, quod in congressibus suis infantes mactarent, sanguinem eorum biberent, promiscuam venerem exercerent, & quæ non? ea recensuimus pluribus in libello de peregrinatione Pauli.

*Ufus
distinguit.*

Hoc autem cum ita se habeat, nihil ergo mirum quod hæctenus tantæ sint exortæ persecutiones, quandoquidem pro pessimis illi facti sunt habiti. At quod non fuerint tales quales habebantur & vulgò tradebantur, nonnulli jam ipsorum cognovere. Nam in Gallia in quibusdam civitatibus etiam hodie adeo exosi sunt illi quorum antecessores operam suam navarunt in trucidandis Protestantibus, ut cum eis non contrahant matrimonia.

DE QUARTO.

Jam docet nos Lucas, super quos Saulo data fuerit illa potestas? *super eos, qui, inquit, invocant nomen tuum*: id est, super Christianos. His verbis duo exprimuntur; *Unum* est, quod illi qui se Christi esse profitebantur, in eo etiam fuerint gloriati: *alterum* est, quod ad ejus praesidium confugere sint soliti: hoc enim est invocare nomen alicujus. Est autem invocatio pars adorationis & cultus Deo debiti: nec alii exhiberi debet, quam ei qui sit Deus. Includit enim in se proprietates divinas; omnipotentiam succurrendi omnibus invocantibus, & in omnibus casibus; omnipraesentiam, ut succurrat ubique; omniscientiam, ut de omnibus se invocantibus sciat. Adhuc confidentiam, sine qua nulla invocatio est utilis: uti monstrat, *JAC. 1. 6. 7.*

IV. Sicut per quos habuit Saul illam potestatem?
Invocatio quid est, quae in se includit.

Ex eo autem quod Christus à primis Christianis fuerit invocatus, duae nobis emergunt doctrinae.

Prior est, Christus Dominus est verus Deus; quia ei cultus & honor invocationis tribuitur; idque confirmatur non tantum hoc exemplo primorum Christianorum, sed etiam aliis scripturae locis. Ipse Christus ait, *Joh. 5. 22. 23. Pater omne judicium dedit Filio: ut omnes honorent filium, prout honorant Patrem. Hebr. 1. 6. Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et dum in nomen filii baptizamur, nonne baptizamur ad eum colendum, *ubi*

Doctr. 1. Christus est verus Deus.

Ratio 1.

ubi invocatio etiam intelligitur necessario; Paulus Rom 9. 5. eum laudat, *Deum bened. semper in secula*. Quo loco antiquissimi Patres, *Origenes, Chrysostomus* probabant veritatem divinitatis Christi, contra hæreticos. Plura argumenta quid opus est hic adferre, quum scriptura toties quoties eum expresse vocat Deum, *Joh 1. 1. Erat sermo ille Deus. Actor. 20. 28. Deus redemit Ecclesiam proprio suo sanguine. 1. Joh. 5. 20. Summus in verace illo, in Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna*. Ipsi etiam tribuuntur proprietates veri Dei. Ipse vocatur Pater æternitatis, *Esai. 9. 6. Ipse est principium & finis; ipse primus & ultimus*; quæ verba non nisi de Christo accipienda sunt, uti patet ex *v. 18. Et qui vivo, sed fuit mortuus, Apoc 1. 17. 18. Ipse fuit antequam Abraham fieret, Joh. 8. 58. Qui tamen multis seculis post Abrahamum demum natus fuit: fuit ergo ante Abrahamum, ut Deus, non homo. Ipse est Omnipotens; nam fert omnia verbo sua potentia, Hebr. 1. 3. Ipse est omniscius, nam omnia novit, Joh. 21. 17. Et an nõ ille est Deus, qui opera Dei operatur? qui creavit mundum, *Joh 1. 3. Col 1. 16. Qui gubernat & sustentat mundum? Heb 1. 3. Qui divinitatem suam miraculis illustravit? qui cæcis visum restituebat, surdis auditum, mutis loquelam, mortuis vitam? Si objicias ex miraculis Christi, non posse colligi certo Christum esse Deum, quia Apostoli & Prophetæ eadem patrarunt: Responsum adfero ex Ca-**

Ratio 2.
à nomi-
nibus
Dei.

3. à pro-
prietati-
bus Dei.

4. ab o-
peribus
Dei.

Casus
Consc.
An ex
miracu-
lis certo

merone;

Merone; nempe, non ea patrarunt ut assererent sibi ullam dignitatem, sed ut conciliarent autoritatem doctrinæ: Christus vero miracula edidit ut afferret sibi dignitatem; ut sciatis, inquit, *Filium hominis potestatem habere remittendi peccata*, dixit *Paralytico, surge & ambula*, *Matt. 9. 6.*

Item, *Pater operatur usq; nunc, & ego operor*, *Joh. 5. 27. 23.* ut omnes honorent filium quomodo honorant Patrem. Prælection. Tom. 3. pag. 219. Postremo nonne Deitas ejus firmissime comprobatur ex munere Mediatorio? nam Mediator idem est

quod Servator, vel Redemptor. Jam vero, quia salutis nostræ perfectio in iis consistit rebus, quæ nemo perficere potuit, nisi sit verus Deus, facile colligitur & certe, Christum esse Deum, quia ipse eas perfecit. Quis enim alius nisi Deus magnitudinem mali nobis incumbentis & nos deprimentis ad inferos usque à nobis potuit auferre? iram, nempe divinam, peccati gravitatem, imperium mortis, diaboli tyrannidem.

Hæc certe nemo tollere potuit, nisi Deus: quæ admodum neque magnitudinem boni amissi nobis restituere, imaginem Dei, justitiam & sanctitatem perfectam.

Procul ergo absint à nobis, procul, qui invocamus nomen Domini Jesu, monstrosa illa & scelerata *Socinianorum* dogmata, & omnium aliorum Filii Dei contemptorum, qui ausu & scelere nefario Domino Christo divinitatem detrahunt. Sed ô homines cæci in luce meridia-

*probetur
divinitas
Christi?
Affir-
matur ex
D. Ca-
merone.*

*5. à mu-
nere Me-
diatorio.*

*Cur ser-
vatorẽ
mundi o-
portuit
esse Deũ.*

*Ufus 1.
Rejuat.
So iira-
norum.*

na, si eum invocatis, cur Deum verum & aeternum non creditis? potestne quis cultu religioso invocari, qui non sit Deus verus? certè non potest sine crimine horrendæ idololatriæ. *Dicesne* heic, Deum fecisse illum Deum, id est, dedisse hoc illi, ut à nobis invocaretur? sed an nescis Deum esse veracem, qui putes Deum oblitum esse suorum verborum? *Ego sum Jehova, illud est nomen meum. & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus, Esa. 42. 8.*

Ufus II. Consolatorius. Nos vero insignem hinc promamus consolationem: nam non pudebimus, sed servabimur quicumque invocamus nomen ejus, *Act. 2. 21.* Itaque in eo tanquam Deo nostro vero

Regule; 1. Ab ipso solo justificationem nostram & salutem expectando. 2. Omnium nostrorum conatum eventus ei committendo. 3. Ad eum confugiendo in omnibus adversitatibus & necessitatibus nostris exemplo horum primorum Christianorum.

Doct. 2. Qui Christo recipiunt, statim ac eum per fidem veram recipiunt, munus est, Christum colere, & adorare, ut suum Deum.

Qui Christum recipiunt, statim ac eum per fidem veram recipiunt, munus est, Christum colere, & adorare, ut suum Deum. Quid ergo ad hæc dicent *Sociniani* Transylvanix, qui docuerunt non esse de necessitate mandati invocare Christum: sed esse liberi cujusvis hominis arbitrii? Sed an non legunt expressum mandatum, *Hebr. 1. 6. Adorent eum omnes*

Refutat. Socinianorum.

omnes Angeli. Si Angelis hoc est mandatum, multo magis Socinianis & Enjedinianis hominibus.

V E R S U S X V. & X V I.

Dixit autem ad eum Dominus; proficiscere; nam instrumentum electum est mihi iste, ut portet nomen meum in conspectum gentium, & regum, & filiorum Israël. Ego enim ei præmonstrabo quam multa oporteat ipsum pro nomine meo pati.

E X P L I C A T I O.

Hucusque egimus de primo mandato actus posterioris visionis Ananiæ: sequitur alterum, quo Christus mandat Ananiæ iterum ut eat ad Paulum, & eum in Religione Christiana confirmet. Hoc autem totum mandatum absolvitur his duobus versibus: & quidem ita, ut proponatur;

1. Illud ipsum mandatum.
2. Confirmatio ejus.
3. Prædictio de sorte vel conditione Pauli.

D E P R I M O.

Ipsum mandatum est in verbis; *Proficiscere*, I. *Ipsum est repetitio prioris, cum quadam vehementia & quasi reprehensione.* *mandatum.*

Unde concludimus, eum qui non vult Deo obedire libenter & ultro, oportere id facere coacte. *Qui non vult ire, dum Christus blandis jubet verbis, oportet ut porro eat reprehensus, uti vides in exemplo Ananiæ hoc loco.* *Doctr. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

volentem, nolentem trahunt fata. *Moses* adferebat multas excusationes, ne in *Ægyptum* iret: nec volebat ire, dum ei *Deus* mandata daret verbis concepta lenibus, sed quum increparetur à *Domino*, demum ivit, *Exod. 4. 12. 13. 14.* Dixit *Jehova* ad *Moysem*; Nunc itaque i: & ego adero ori tuo, & docebo te quæ loquuturus es. Dicente autem illo, attende ad me *Domine*, mitte quæso per eum quem missurus es: Accensus ira *Jehova* contra *Mosen*, dixit, Annon *Aaronem Levitam fratrem tuum* hunc scio omninò valere eloquio? adeòque ecce ipse prodit obviam tibi, & quando videbit te, letabitur cum animo suo. Idem videmus in *Jona*, qui *Deo* non prius obedire voluit, quam esset castigatus. Et *Pharao* nolens volens dimisit populum *Dei* à se, *Exod. 14.* *Jeremias* multum tergiversabatur, de quo legimus, *Jer. 1. 4.* &c. Fuit verbum *Jehovæ* ad me dicendo; quum nondum formavissem te in utero, agnovi te, & quum nondum prodisses ex vulva, sanctificavi te, Prophetam ipsis gentibus constitui te. Me autem dicente, Ab ah *Domine Jehovi*, ecce nescio loqui, nam puer sum. Edixit *Jehova* mihi, ne dicitis, puer sum: sed ad quemcunque misero te, ito, & quæcunque precepero tibi, loquitur. Hodie vero, annon plures tales reperiantur? certe. Nam multi sunt, quibus *Deus* mandat sequi sanctimoniam vitæ, concedendo longam vitam, & bonam valetudinem, ac felicem rerum successam, &c. qui tamen eam non sequuntur: sed demum post

Quomodo
hodie
Deus nos
ad se
ducit.

varias

varias castigationes, morbos, afflictiones, adversitates, &c. adeo ut in talibus compleatur recte, quod vulgari dicitur proverbio: pathymata, mathymata.

Hujus autem doctrinæ fundamenta sunt; *Ratio 1^a*

1. Quod quæcunque Deus vult necesse est ut fiant, teste Psalmista, *Psal. 115. 3. Deus noster in ipsis cælis est, quicquid ei placet facit. Rom. 9. 19. Ejus voluntati quis obsistit? si verbum solummodo profert, fit: quid ergo mandatum severius non efficiat? Psal. 33. 9. Ipso dicente est, quicquid est, ipso præcipiente existit.*

2. Quia ea est conditio naturæ humanæ, ut *Ratio 2^a*
non libenter bene ultro faciat, sed demum coacta. Non male eam aliquis accomparavit asino, qui (ut proverbialiter dicitur) montem nõ ascendit nisi verberibus adactus. Hoc autem inde est, quod mens nostra & voluntas ab alienata est à Deo & ejus obedientia: ita ut quicquid Deus jubeat, adversum ei sit.

Sed ô miseros nos & malefanos, qui sapius *Ufus*
Dei voci auscultare recusamus! non facimus *Corre-*
quum Deus blande jubet; & tamen porro *ctionis*
deinde facere cogimur. Deus ad se vocat & ad *& Hortationis.*
pœnitentiam invitatur: si negligimus ire, habet
ille in promptu alia media, morbos, egestatem, famem. Ne obduremus ergo animum nostrum, quoties vocem ejus audiverimus, ut monet Psalter, *Psal. 95. 7. 8. Quomodo vero, di-*
gat aliquis, repugnamus Deo & ejus voci? Re- *Quomodo*
do homines
Dei

vozem
audire
recusant?
Respon-
sio I,

spondeo: 1. Denegando obedientiam ejus mandatis. Sic Saul Rex Israëlitarum, dicitur sprevisse verbum Jehovæ, quod non obediverit Deo, qui ei mandaverat omnes Amalecitas dare internecioni: ideóque fuit etiam reprehensus à Samuele, *1. Sam. 15. 22. 23.* 2. Peccata nostra excusando, eorúmque culpam à nobis transferendo vel in fatum quoddam Stoicum, vel mala sodalitia, vel occasiones malas, vel naturam corruptam. 3. Procrastinando pœnitentiam. Verum ô quam multo satius est ultro obtemperare Deo! Quod faciemus facilius, si consideremus; 1. Magnam potentiam Dei & potestatem in omnes creaturas: nihil est quod ei non sit subjectum, & quod non ei oporteat obedire promptissime. Dominus ille est absolutus. 2. Quid nos simus: homines post lapsum miseri, vermes, ut *Pf. 22. 7.* David de se fatetur. 3. Pœnas, quibus punit inobedientes. Nam 1. Irascitur talibus, *Ose. 5. v. 6.* 2. Aufert bona temporalia; uti Saulo Regnũ, *1. Sam. 15. 26.* 3. Imò rejicit à facie sua in æternum, *1. Sam. 15. 23.* 4. Aliquando punit fame, peste, bello, *Esa. 1. 19. 20.* *Si acquiesceris, ut audiatis, bono hujus terræ fruemini. Sin autem renuatis atque rebelletis, gladio consumemini: nam os Jehovæ locutum est.*

DE SECUNDO.

II. Con-
firmatio
mandati

Sequitur mandati confirmatio; quæ primo proponitur, deinde ostenditur ejus finis; nempe in quem

in quem finem Dominus elegerit & conver-
terit.

PR IUS quod attinet, Propositio rationis est
in istis verbis; *Nam instrumentum electū est mihi
iste.* Instrumentum electū vel organon significat
eximium ministrum: quasi ergo dicat Christus;
proficiscere, nam ego eum elegi ut mihi sit non
vulgaris aliquis minister, sed eximius & excel-
lens: licet antea peccator fuerit magnus. Quū
autem ministrum suum Paulum organon vo-
cat, ministros suos nihil posse, nisi quatenus
ipse eorum opera utitur, clare ostendit.

Videmus jam ex hoc loco, Deum aliquando
efficere ex magnis peccatoribus magnos & ex-
cellentes ministros Ecclesiæ suæ. Insignis fuit
persequutor Ecclesiæ Saulus, sed postea ma-
gnum & insigne ejus instrumentum: adeo ut
multi in Ecclesia Dei magni viri, multa præcla-
ra in ejus laudem dixerint. *Petrus* testatur ejus
scripta divina fuisse & sapienter scripta, 2. Pet.
3. 15. *Dilectus frater noster Paulus pro sibi data sapi-
entia scripsit vobis.* *Augustinus* eum vocat nutri-
torem Ecclesiæ: item: Quæ Pauli epistola non
melle dulcior, non lacte candidior? *Chryso-
stomus* vero doctrinam ejus cum splendore cœli
comparat; dum eum dicit concionibus suis
totum mundum attraxisse; mentis ejus subli-
mitatem omnes cœlos transcendisse, &c. *In c. 2.
ad Rom. Moral.* Quid dicemus de *Petro*, qui prius
abnegaverat Dominum? *Matthæus* fuit Publi-

1. Propo-
sicio Cō-
firmati-
onis.

Doctrinā

1.
Deus a-
liquan-
do ex
magnis
peccato-
ribus fa-
cit ma-
gnos mi-
nistros
sua Ec-
clesiæ.
Aug. 1.
Cor. 3. 2.
& de
Sancto,
serm. 25,

canus: *Augustinus* Manichæorum doctrinæ ad-
dictus.

Ratio 1.

Quum autem Deus hac ratione ex magnis peccatoribus magna sibi efficit Ecclesiæ instrumenta, vult *primo* ostendere magnam suam potentiam, quam in eo exerit, quod ex peccatore facit hominem sanctum: quod fit per regenerationem. Regenerare autem hominem peccatorem non minoris est potentia quam eum creare ex nihilo. Unde in Sacra Scriptura saepe Regeneratio vocatur creatio nova, vel re-creatio. Ex eo etiam quidam Patres firmissime Spiritum S. esse Deum probabant, quod ei tribuatur Regeneratio, quæ est opus solius Dei.

Ratio 2.

2. Vult in mediū producere magnam suam bonitatem & misericordiam, quæ ne maximos quidem peccatores à se repellit, sed potius ad gratiam recipit. Hanc rationem ipse Paulus ostendit, *1. Tim. 1. 15. 16. Certus est hic sermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur. Christum Jesum venisse in mundum ut peccatores servaret, quorum primus sum ego. Verum ideo est misericors mei, ut in me primo ostenderet Jesus Christus omnem clementiam, ut essem exemplum credituris in eum ad vitam æternam. Huc pertinet etiam illa dulcis promissio Dei, Esa. 1. 18. Si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescant: si rubra fuerint velut coccineum, similia lanae erunt.*

Ratio 3.

3. Tandem consolari vult alios etiam peccatores,

catores, ne desperent: & certè cur desperent de gratia Dei salutari, qui nonnullos non tantum ad se convertit, sed etiam Ecclesiæ suæ præficit.

Nos caveamus diligenter, temere judicare de quoquam: & etiã nisi aliquando videamus aliquem se gerere minus honestè aut convenienter, tamen ne eum statim condemnemus, quin potius admoneamus, ut recedat à mala suâ viâ, & sequatur rectam. Potest enim Deus etiam tantum misereri, eosque ad se convertere.

Observemus etiam hic *secundo loco*, quid de ministris Ecclesiæ sit nobis sentiendum? nempe eos non nisi esse vasa vel instrumenta Christi Domini: is ut autor per eos nobis prædicat & concionatur, atque annuntiat Euangelium, *Doctr. 2o*
Ministræ
Ecclesiæ
sunt tam
tum or-
ganæ
Dei &
Christi.
Matt. 28. 20. Data est mihi omnis potestas in cælo
& in terra. Profecti ergo docete omnes gentes, bapti-
zantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus S. Do-
centes eos servare omnia quæ mandavi vobis: & ecce
ego vobiscum sum, omnibus diebus usque ad consum-
mationem sæculi. Ideoque Christus uti est sum-
mus pontifex Ecclesiæ & caput, ita summus
Propheta: ipse emittit messorum in messem suâ.
Non sunt ministri qui loquuntur, sed Spiritus
Patris eorum is est qui loquitur in illis, Matth.
10. 20. Per ipsos Deus nos redarguit, consolatur,
adhortatur, à peccatis absolvit, Matt. 18. 18. Amen
di. o vobis, quæcunque ligaveritis in terra erunt li-
gata in cælo: & quæcunque solveritis in terra, erunt
solutæ.

soluta in caelo. Per ipsos etiam homines sibi reconciliat, 2. Cor. 5. 20. *Nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo vos rogante per nos, oramus Christi nomine reconciliamini Deo.* Quocirca rectè vocantur ministri & dispensatores, 1. Cor 4. 1. *Sic de nobis reputet homo, ut de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei.* Hinc etiam fuit, ut Prophetae semper praefati fuerint; *Verbum Jehovah, & sic ait Jehovah.* Non sunt tamen illi ministri & servi hominum & auditorum iuorum, sed Dei: nisi in quantum circa eos Dei mandata exequentur.

Observatio.

Ratio.

Fundamentum autem hujus quod illi non nisi sint instrumenta facile perspicitur ab eo, qui considerat ea bona & dona caelestia circa quae illi occupantur. Deus enim uti omnium aliorum bonorum solus est autor & dator, ita etiam illorum quae nobis Ministri offerunt. Non possunt illi dare gratiam spiritualem, nec remissionem peccatorum, nec justificare hominem, nec vocare eum internè; nec quicquam aliud agere causaliter, sed tantummodo ministerialiter. Ideoque frustra illi concionantur auribus nostris, nisi simul cum eis Deus concionetur cordibus nostris.

Usum I. Hortationis & Dehortationis.

O vos ergo ministri Dei & servi Christi, meminertis hujus doctrinae; & si quid in nobis deprehenditis excellentis, ne vos efferatis ideo, neque superbiatis ob dona illa. Non sunt ea vestra dona, sed Dei. Nec adscribite vobis successum

sum felicem in vestro munere; non vos estis
 ejus autores, sed tantummodo instrumenta
 Christi. Audite quid ad singulos vestrum dicat
 Paulus, *1. Cor. 4. 7.* *Quid habes quod non acceperis :
 quod si etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non ac-
 ceperis ? Habes eloquentiam ? scias non ideo ti-
 bi eam concessam, ut inde captes laudem tuam,
 sed eloquaris eloquia Dei ad ejus gloriam, in
 summa humilitate. Habes ingenium subtile ?
 non ideo habes, ut nova aliqua quæras dogma-
 ta, & turbes Ecclesiam : sed ut admireris my-
 steria Dei regni. Præponite vobis non tantum
 hoc, quod nihil habeatis, quod sit vestrum pro-
 prium, nihil enim intulimus in mundum, *1. Tim.
 6. 7.* Sed etiam damnum, quod experiuntur ta-
 les, qui donis sibi ad tempus concessis abutun-
 tur : nam Deus ea ab illis tandem aufert, uti
 dominus ille talentum à servo suo ignavo
*Matth. 25. v. 26. 27. 28.**

Vobis vero auditoribus eo hoc inservit, ut
 quotiescunque intratis Ecclesiam verbum Dei
 audituri, semper Deum sedulò oretis, ut vobis
 benedicat, neque permittat concionatores in-
 vanum semen suum differere ; quin potius fa-
 ciat vos etiam fructum adferre multiplicem.
 Quemadmodum Esavus loquebatur ad Isaac
 patrem suum, ita vos etiam alloquimini Deum
 dicentes : *Benedic mihi etiam pater, benedic, Gen.
 27. v. 24.* Nam nisi hoc fiat, frustra audietis eos
 loquentes ; proinde rectè *August.* alicubi pro-
 nuntia-

*Ufus II.
 Institu-
 tionis.*

nuntiavit: Frustra nos loquimur ad vos, nisi Deus ipse vobis etiam loquatur. In cœlis cathedram qui corda docet habet. Est quidem fides per auditum, sed tantum credunt ii, qui ordinati sunt ad vitam æternam, teste Paulo, *Act. 13. 48.* Ideoque dum Paulus concionatur, dominus aperit cor Lydiæ ut credat, *Act. 16. 14.*

*II. Finis
Pauli ele
ctionis
ad Apo-
stolatu.*

POSTERIUS quod atinet, jam dominus ostendit, ad quid eum elegerit? *Ut portet nomen meum in conspectum gentium, & regum. & filiorum Israël:* id est, ut exhibeat testimonium mihi, annuntiando Euangelium & doctrinam meam, Gentibus, Regibus, & Hebræis. Res miranda! is qui prius nomen Christi extirpare conabatur, jam cogitur illud divulgare & augere ejus gloriam. Fecit hoc diligenter Paulus: nam & Gentibus prædicabat, ut ipse testatur, *Rom. 15. v. 15. 16. Communes facio vos, propter gratiam que data est mihi, ad hoc ut sim minister Jesu Christi apud Gentes: & v. 19. Ab Hierosolyma & circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum, implevi prædicandi Euangelii Christi munus.* Et Regibus, ut Agrippæ, *Act. 26 v. 2. & seq.* Et Judæis, *Act. 28. 23.*

Object.

Object. Quomodo autem hæc possunt consistere? nam *Gal. 2. 7.* ipse Paulus dicit sibi concreditum fuisse Euangelium præputii: sicut Petro circumcisionis. Sed nulla est hic difficultas: nam Euangelium præputii ei fuisse concreditum, intelligendum est primario, neque excluduntur omninò Judæi. Quemadmodum ipse

Respons.

ipse Paulus dicit se non fuisse missum à Christo ut baptizaret, sed ut euangelizaret, id est, præcipuè, nam alioquin ipse testatur se nonnullos baptizasse, 1. Cor. 1. v. 14. 17.

Docet autem hic Christus evidenter, ministrum suum debere nomen ejus portare, id est, Euangelium annuntiare. Hæc enim est causa, cur eos ad se vocat. Quid ergo ad hæc dicent illi qui hoc non faciunt? qui silent ac si muti sint?

D E T E R T I O.

Sequitur ultimo loco prædictio de conditione Pauli futura, & quidem valde misera, quæ habetur in istis verbis: *Ego enim ei præmonstrabo, quam multa oporteat ipsum pro nomine meo pati.*

Hæc verba admonent nos periculosa & misera conditionis omnium verorum ministrorum Christi. Multa enim eos pati oportet. Et primò quidem odium à mundo, & quibusdam etiam suis auditoribus. Docet hoc exemplo suo Micheas, 1. Reg. 22. 8. *Dixit rex Israël Josaphat:*

amplius vir quidam est ex quo consulas Jehovam, sed ego odi eum, quia non prophetat de me bonū, sed malū, Micheas filius Imle 2. Contempit, ut Paulus Act. 17. 18. *Quidam autem ex Epicureis & Stoicis*

Philosophis conflabantur cum eo; & quidam dicebant: Quid vult garrulus iste dicere? 3. Mortem, ut Joannes Baptista, Matt 14. 3. 4. Nonnulli prophetarum, Matt. 23. 37. Omnes Apostoli præter Johannem Evangelistam.

Nec mirum est: nam illi mundum arguunt

pecca-

Doctrin.

III. Prædictio de sorte Pauli futura.

Doctrin. Periculosa est conditio fidelium ministrorum.

Huius conditionis partes. 1.

2.

3.

Ratio.

peccatorum, regnum diaboli destruunt: quod illi ferre nequeunt.

Usus In-
stituit.

Itaque ne mirentur quoties se in ejusmodi conditionibus vident constitutos: modo dent operam, ut non aliam ob causam patiantur, quam pro nomine Christi. Nam admonitio illa Petri non minus ad illos quam ad alios pertinet Christianos; 1. Pet. 4. 15. 16. *Ne quisquam vestrum malo afficiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector. Sed sicut Christianus, ne pudeat, imò glorificet Deum hoc respectu.*

V E R S U S X V I I.

Abiit igitur Ananias, & introivit domum illam, & impositis ipsi manibus dixit, Saul frater, Dominus misit me (Jesus inquam qui visus est tibi in via qua veniebas) ut visum recipias, & implearis Spiritu sancto.

E X P L I C A T I O.

HActenus explicavimus duo mandata à Christo Ananiae per visionem data; & ita absolvimus totam illam Ananiae visionem. Sequitur jam obedientia Ananiae & executio mandati Christi. Ita enim Ananias à Domino instructus, ut nullus locus metui esset relictus, abit, & quicquid jussus fuerat circa Paulum exequitur. Habemus ergò in hoc versu descriptam legationem Christi ad Paulum. Quam Lucas ita describit:

1. Ostendit, quis fuerit ille legatus & locus, ubi eam exequebatur.

2. Ponit ipsam legationem & modum executionis ejus.

DE PRIORE.

Legatus iste fuit Ananias unus ex discipulis Domini: non fuit autem aliquis Princeps neq; Episcopus pompa mundana splendens, verum homo, ut antea dictum, laicus, cujus tamen opera Christus usus est ad res magni momenti exequendas, nempe ad annuntiandam gratiam Saulo, ad recipiendum eum in Ecclesiam & numerum aliorum fidelium. Breviter, ad exequendum id, quod postea ministris Ecclesiae fuit concreditum: quo nihil esse potest elegantius, siue respicias eum, cujus locitentes illi sunt, nempe Deum, siue eas res quas annuntiant, nempe salutem & viam ad illud ducentia.

Inde jam clarum est, quorum & qualium hominum opera Deus utitur in annuntiando hominibus Euangelium, & in adhibendo eos ad ministerium suum? homines plerumque simplices & contemptos apud mundum. Verum quidem est Esaiam fuisse ex stirpe & familia Regia: sed ad comparationem ejus, o quam multi erant prophetae pauperrimi & abjecti! Jeremias, Amos, pastor. Apostolorum quidam piscatores; alii publicani, quorum quid inter Judaeos erat contemptum magis? ita ut verè & jure maximo de iis dici possit, 1. Cor. 1. 26. Non esse multos sapientes vocatos secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles. Verum quae stulti sunt

1. Quis fuit iste legatus?

Doctr. Deus plerumque in annuntiando suo verbo utitur hominibus simplicibus.

sunt mundo, elegit Deus ut pudefaciat sapientes, & quæ sunt infirma mundi elegit Deus, ut pudefaciat validos. Ita filii prophetarum adeò miseri & pauperes erant, ut vix non fame morerentur. Ipse Christus non habuit ubi caput reclinaret. Apostoli manibus suis laborantes quærebant panem.

Ratio

1.

Cur autem Deus ejusmodi viles & contemptos ad tantum munus eligat, videntur istæ esse causæ: 1. Ut eo illustrior appareat ejus gloria, qui potentiam suam exerit in infirmitate sua, ut ipse loquitur, *2. Cor. 12. 9.* Etenim si Deus adhibeat aliquos magnates hujus mundi, decederet aliquid gloriæ Dei respectu hominum, nam videretur quod illi hoc faciant, non Deus. Plerumque enim homines id sibi potiùs adscribunt, quam Deo. Quam egregiè Paulus in hac materiâ loquitur, *1. Cor. 3. 6.* *Ego plantavi, Apollon rigavit; sed Deus dedit crescendi vim.*

Ratio 2.

2. Ut ostendat magnam suam bonitatem, qui ne abjectos quidem apud mundum abjicit, sed eis utitur ad res magnas. Davidem constituit Regem, &c.

Ratio 3.

3. Partim etiam, quia magnam ingratitude-
nem videt mundi & minorum in eo clarorum,
qui nolunt hujus legationis munus suscipere.
Quotusquisq; est magnarum aut nobilium qui
hanc provinciam non detrectet? Unus fuit prin-
ceps *Anhaltinus Georgius*, tempore Reformatio-
nis qui subditis suis concionabatur. *Jacobus IV.*
Rex

Rex Scotiae quidem Theologiam valdè amavit, adeò ut & subindè disputaret, & aliquando concionaretur, sed ob id fere contemptus fuit ab aliis. Alios si quos invenias, coacte id faciunt, id est, quod necessitate urgeantur, dum aliter vitae suae commodius prospicere non possunt. Hoc autem unde quaeso provenit? 1. Inde, quod eos pudeat hujus muneris: putant enim rem esse contemptam, esse ministrum Christi. Verùm quid excellentius esse potest? Christo servire, est imperare. Si laudis est esse legatum Imperatoris, vel Regis, multò majoris erit legatum agere Regis Regum. Quis majus præmium sibi habet promissum? Omnes quidem fideles gloria cœlesti ornabuntur, verùm erudientes splendebunt, quasi splendore expansi: & justificantes multos, ut stellæ, in sempiterna secula, Dan. 12. 3. Ideòque Apostolis etiam singulare quid Dominus promiserat, nempe quod sedebunt in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Israël, Matt. 19. 28. 2. Quia subterfugiunt labores Nam laboribus & molestiis est plena hæc provincia. Episcopi nomen non est honoris, sed oneris. Malunt illi deliciari, ociari, compotare, venari, quam laboribus Ecclesiasticis se macerare. 3. Metuunt pericula, quibus veri & fidi pastores sunt obnoxii. Verùm enim vero ut ad istas objectiones breviter respondeamus, sciendum est, quod Christum etiam pudebit eorum in al-

*Cur pauci nobi-
les ad
ministrum se
adliant?
Resp. 1.*

2.

3.

*Resp. ad
primum
impedi-
mentum.*

tera vita, quos in hac pudet Christi. Generale est pronuntiatum Domini, *Luc. 9. 26. Quem enim puduerit mei ac meorum sermonum, ejus pudebit Filium hominis, quando venerit cum gloria sua &*

Ad secundum. *Patris, Sanctorumque Angelorum.* Deinde nihil est per se honestius quam laborare: ideoque Apostolus requirit, ut quilibet laboret in vocatione sua. Laboribus autem Ecclesiasticis nihil præstantius, nihil utilius, Deo enim ipsi navas operam. Quod verò pericula attinet, beati sunt illi qui pro Christi nomine patiuntur, *Matt. 5. 11. Beati estis, quum vos convitiis affecerint & persecuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me. Gaudete & exultate; quoniam merces vestra multa est, in cælis.*

Ufus Instit.

Quapropter omnes quoscunque jam adhibuit Dominus ad hoc munus, agnoscant summum ejus erga se amorem, qui eis utitur ad res magnas perficiendas: nempe ut sint legati ejus, quos mittit ad Reges & Principes hujus mundi, ut hominibus gratiam Dei annuntient & pacem, ut eos Deo reconcilient, &c. Et quamquam in hoc mundo sint contempti, tamen eo se consolentur, quod sint legati Dei: quod etiam nos omnes moneat, ne eos contemnamus, quin potiùs magnificiamus. *At diceres: Quomodo verò dignoscam eos esse legatos Christi, in tanta quæ hodie est varietate sectarum? Respondeo, nullum esse certius signum, quam illud quod petitur ex missione Christi.*

Signa eorum legatorum quos Christus misit.

Quos;

Quoscunque enim ille misit, necessario sequitur esse ejus legatos. Veræ autem missionis non aliud esse potest signum, quam doctrina ejus. Itaque quicunque hoc tenent & docent, quod Apostoli docuerunt & Prophetæ & ipse Christus, ejus sunt legati. Sed doctrina illa non est ex Traditionibus non scriptis haurienda: verum ex libris Sacræ Scripturæ.

DE POSTERIORE.

Ipsa legatio duabus in partibus consistit; *2. Ipsa legatio, cujus due partes: 1. In Gestibus.* *2. In Oratione.*
 PRIUS quod attinet, gestus illi quos adhibuit Ananias exprimuntur his verbis; *Impositis illi manibus dixit:* Usus ergo fuit manuum impositione, quas capiti illius imposuit. Impositio manuum solennis erat ceremonia consecrationis sub lege: & adhibebatur quoties aliquis Deo consecratur & commendatur, vel ei aliquod committebatur officium, inprimis Ecclesiasticum, vel cum ei conferrentur dona Spiritus S. Itaque hoc in loco Ananias Paulo imponit manus idè: *1. Ut illum Deo consecreret, quo agnoscat se esse ministrum ejus. 2. Ut ei dona Spiritus S. impetret.* Quanquam autem hic nulla fit mentio doctrinæ, tamen nullum dubium est Paulum prius fuisse in Christianâ doctrinâ edoctum. Nam baptismus in adultis est ordine posterior.

Ex hoc loco & similibus, in quibus de impositione manuum fit mentio, quidam occasio- *AnCon- firmatio*

Pontificiorum, aliquod fuit sacramentum habeat in cerimonia hac?

nem sumperunt, ut fabricarent sibi unum ex quinque fictitiis Sacramentis, nempe Confirmationem, quæ ritus est quo baptizatus in fronte, ad figuram crucis, crismate, (quod oleum est balsamo mistum) cum impositione manus, ab Episcopo ungitur, hac expressa verborum formula, signo te signo crucis, & confirmo te crismate salutis, in nomine Patris, Filii, & spiritus S. ad characterem hoc ritu imprimendum, & gratiam justificantem dandam. Hanc Confirmationem, quæ est traditio humana, præferunt ipsi Baptismo, qui est ab ipso Christo institutus. Unde dicunt illam esse magis honorandam quam Baptismum. *Be'lar. lib. 1. de Confirm. c. 1.* probare conatur Confirmationem esse excellentiorem Baptismo, tam propter subjectum, quod est frons, quam dignitatem Ministri eam administrantis, qui est Episcopus. *Idem c. 11. ait: Confirmatio confert gratiam gratum facientem, & quidem majorem quam ipse Baptismus in ordine ad roborandam animam adversus diaboli impetus.* Canon, ut jejuni, habet: *Nunquam erit Christianus nisi in Confirmatione Episcopali fuerit crismatus.* Baptismum administrare potest quilibet, mulier, hermaphroditus, Judæus, Paganus, meretrix: sed Confirmatio non potest administrari nisi per Episcopum. Non est autem nostri instituti hoc loco agere expresse de Confirmatione, eam non esse Sacramentum, quum nec à Christo sit instituta, nec ab Apostolis usurpata, sed tantummodo nobis hic

hic est ostendendum, locum hunc in quo agitur metuo impositionis manuum, ab iis non rectè trahi ad Confirmationem suam. Nam quanquam quidem ab Apostolis adhibita legitur aliquoties; tamen hoc fiebat tanquam donorum extraordinariorum, quæ baptizatis nonnullis conferebantur per ministerium Apostolicum: non verò tanquam sacramentum donorum ordinariorum, quæ omnibus baptizatis essent necessaria ad salutem.

Neutiquam

Quum autem impositio manuum sit ceremonia, & quidem adhibita in Novo Test. hinc colligimus ceremonias posse etiam hodie adhiberi in Ecclesia Dei: observatis tamen istis conditionibus vel cautionibus:

*Doctrina
Ceremonia adhiberi
possunt
in N. T.
sed his
cautionibus
adhibitis.*

1. Ut habeant suum fundamentum in S. Scriptura.
2. Ne sint Scripturæ S. contraria.
3. Ne sint conjunctæ cum superstitione.
4. Ne sint inutiles, ineptæ, ridiculæ, & histrionicæ, sed docentes.
5. Ne sint nimium multæ & laboriosæ: nam liberati sumus jam à jugo Legis Mosaicæ ceremonialis.
6. Caveatur ne paulatim degenerentur in abusum.
7. Absit opinio meriti aut strictæ necessitatis idololatricæ.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.

Hujus autem nostræ doctrinæ sunt fundamenta potissimum hæc: 1. Primum sumitur

Ratio 1.

ab Exemplo Apostolorum & Ecclesiæ primitivæ: qui, certum est, aliquas etiam adhibebant ceremonias, sed paucas & temporibus illis accommodatas.

2.

2. Alterum est, quod ex multum faciunt ad bonum ordinem, quo omnia fieri debent, ex monitu Apostoli, conservandum: imò continentiam plebem in disciplinâ Ecclesiasticâ, & devotione Religioni debita. Externa enim movent sensus.

Institu-
tio.

Quod potissimum eorum institutioni infervit, qui in Ecclesia aut plane nullas, aut pauciores quam bonus ordo postulat, ceremonias tollerare volunt: unde scandalosam confusionem sæpe accidere necesse est, quod etiam ipsa experientia docet.

Et. In O-
ratione,
cujus duas
partes.

POSTERIUS quod attinet, Oratio illa duas habet partes: In *priore* significat illi, se esse ad eum missum à Domino. In *posteriore* ostendit finem suæ legationis.

De PRIORE Orationis Ananiæ parte.

I. Pars.

Hæc consistit in verbis istis: *Saul frater, Dominus misit me, Jesus inquam, qui visus est tibi in via qua veniebas.* Ubi tria nobis veniunt consideranda ordine:

I. *Quomodo Saulum nominet?* Fratrem. *Saul,* inquit, *frater.* Fratres in scriptura vocantur aliquando, qui ex iisdem parentibus procreati sunt: aliquando qui sibi sanguine sunt conjuncti: aliquando qui ejusdem sunt religionis. Atque

que hoc postremo modo Ananias Saulum vocat fratrem, quia jam jam recipiendus erat in numerum fratrum Christi. Nam hoc nomen fratris commune erat primis Christianis: ut doceamur;

Eos qui Christum vera fide recipiunt esse sibi invicem fratres. Fratres secundum spiritum, non secundum carnem: in Christo nihil valet caro, sed spiritus. Nam ne Christum ipsum quidem Apostolus dicit se nosse secundum carnem. Hinc Christus ipse non alios fratres suos agnoscebat, quam eos, qui cum eo essent in spirituali fraternitate. Nam, quum ei quidam diceret: *Ecce mater tua & fratres tui foris adstant, quærentes tuum colloquium: ipse respondens dixit illi, qui hoc ei dixerat, quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et protensa manu sua in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis enim fecerit quod vult Pater ille meus qui est in cælis, is est meus frater, & soror, & mater,* Matth. 12. 47. 50. Inde Apostoli auditores suos toties fratres nominant: sicuti legi potest tum in Actis eorum, tum in Epistolis.

Hoc autem unde sit quod sibi sint fideles fratres, non est difficile cognitu: 1. Quia habent communem omnes Patrem, nempe Deum: idque non tantum creationis respectu, sed potissimum regenerationis. Nam is, nempe Pater ille luminum, quia voluit, progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam eorum quæ

*Doctrinæ
Qui cre-
dunt in
Christo
fratres
sibi sunt.*

*Ratiō
I.*

creavit, Jac. 1. 17. 18. Ac statim v. 19. illos quos ita regeneratos esse scribit, vocat *fratres*, & quidem dilectos. A Paulo verò *Eph. 5. 1.* vocantur filii Dei. *Estote*, inquit, *imitatores Dei, ut filii dilecti*. Huc etiam spectat locus, *1. Pet. 1. 3.* *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vitam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Non alio etiam respectu Christus nos jussit in Oratione dicere, *Pater noster*, qui es in cœlis: non verò, *Pater mi*, in singulari, ut eum communem nostrum esse Patrem doceret. 2. Quia tum recipiuntur in fraternitatem Christi, qui est os ex eorum osse, sanguis ex eorum sanguine, & caro ex eorum carne. Quam ob causam non erubescit vocare fideles fratres suos, *Hebr. 2. 10.* Postquam enim surrexisset à mortuis, dixit ad Mariam; *Proficiscere ad fratres meos & dic eis: ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: ad Deum meum, & Deum vestrum*, *Joh. 20. 17.* Paulus etiam *Hebr. 2. 17.* eum dicit debuisse per omnia fratribus suis fieri similem. Factus fuit autem Christus frater noster idè, ut pro nobis posset satisfacere & pro peccatis nostris mori. Si enim à morte liberari debuimus per Christum, oportuit eum assumere naturam nostram humanam, ut posset mori: quia non nisi ea natura potuit puniri, quæ peccavit, nec liberatio acquiri potuit, nisi morte: inde Paulus verissimè ait, *Hebr. 2. 14.* *Quoniam pueri participes*

*ei*pes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum penes quem est mortis robur, hoc est, diabolum.

3. Quia eorundem beneficiorum Dei sunt *Ratio 3o* participes: nempe Electionis ad vitam æternam, vocationis in tempore, Justificationis quæ consistit in remissione peccatorum & applicatione justitiæ Christi, fidei: adeptionis in Dei filios, sanctificationis & glorificationis. Pulchrè hoc enuntiat Paulus, *Rom. 8. 30. Quos prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.*

O vos ergò omnes, quicumque Christiani *Institu-* estis, quicumque Christum vera fide estis ample- *tionis.* xi, ô fratres quid à vobis requiritur? Fraternalitas Christiana, quæ consistit, 1. In concordia *Officia* fratrum *Spirituali-* *lium.* 2. In amore mutuo. 3. In unanimi *1. 2. 3o* consensu. Apostoli in suis epistolis nihil adeò frequenter in moralibus requirunt, quam hoc, *Ephes. 3. 17. Inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris: ut in charitate radicati & fundati, &c.* Et *cap. 4. 3. studete conservare unitatem Spiritus per connexum pacis.* Sed ô bone Deus, quam oblitum sunt hodie Christiani hujus fraternitatis! Docet hoc experientia, discordiæ privatiæ & publicæ, contentiones & dissidia in Ecclesiâ & Politia: Duella & funesta bella, & quid opus est narrare ea, quæ luce meridiana clariora sunt?

Hæc sunt scilicet illa ultima tempora à Christo prædicta, & ultimum ejus adventum præmonstrantia, in quibus odio habebit (inquit Salvator *Matt. 24. 10. 12*) alius alium: & refrigeret charitas multorum. Verum etiamsi totus mundus hujus fraternitatis Christianæ obliviscatur, nos meminerimus fraterna charitate completi unus alterum; & hac ratione probemus nos veros esse ejus discipulos, ut ait ipse Dominus, *Joh. 13. 15. Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alii in alios.* Neque verò tantummodo fraterna charitate ad amandos proximos nostros propensi esse debemus; sed etiam alii aliis in necessitatibus subvenire, eleemosynas liberaliter distribuere, consolari, auxilio & opibus adesse & prodesse. Hoc vult Paulus, quum jubet, *Rom. 12. 13. Usibus Sanctorum communicare, hospitalitatem sectari.*

Ufus 2.
Consolationis.

Quod ita facientes, tum demum poterimus nobis applicare verè consolationem illam, quæ ex hæc doctrinâ fluit. Nam quid jucundius esse potest tibi, ô anima fidelis, quam certum esse te esse fratrem Christi, & Christum tuum fratrem. Ita enim nihil dubitabis omnia beneficia à Christo ejus fratribus parta ad te pertinere. Is enim quum *tentatio* supervenit, non sinet te superari dicens, meus est frater: *in morte* quoque abiget malos Spiritus dicens, meus est frater, *vo-*lo ut ubi ego sum ibi sit ille etiam: *in extremo* *judicio* ad dextram te collocabit, & dicet, tu es frater

frater meus, tu ovis mea, tu in amore mei perstitisti, tu me coluisti, &c. Veni, veni, tibi paratum est regnum cœlorum ante constitutionem mundi, veni & intra in gaudium Domini tui: ubi cum Domino Jesu fratre tuo & omnibus veris Christianis fratribus perfrueris gloria & gaudio inenarrabili.

2. Ipsa propositio; ea est autem in verbis, *Dominus misit me.* Vocat Christum absolutè Dominum, per excellentiam. Postea in parenthesi explicat, quem intelligat Dominum? nempe Jesum Salvatorem mundi, qui nos servat à peccatis, & qui, inquit, tibi visus est in via qua veniebas. Sæpius Scriptura S. Christum vocat Dominum, & quidem ita ut adjungat etiam nomen Jesus. Sic *1. Cor. ii. 23. Dominus Jesus ea nocte qua tradebatur.* Ad explicationem autem horum Salvatoris nostri titularum, nescio an quis possit aliquid eruditius in medium adferre eo, quod D. Camero habet. Itaque ejus verba hîc ponam, quæ sunt Tom. 3. Ejus Prælect. p. 494. Prior titulus, inquit, nempe Dominus argumentum est potentiæ & sapientiæ, nam ut quis jure Dominus sit, necesse est, potens sit & sapiens, quod n. ista in terrenis dominis sejunguntur, vel etiam neutrum eorum occurrit, hoc fit imbecillitate vel vitio naturæ humanæ: at cum Paulus Christum DOMINUM vocat, Potentiam & Sapientiam illi tribuit. Quod verò Apostolus Christum Jesum vocat, notat summam Bonitatem,

*Christus
vocatur
Domi-
nus Je-
sus.*

nitatem, & Bonitatem quidem in qua elucet
 Potentiâ & Sipientiâ Christi: nam non est cu-
 jusvis servare, sed eum qui servat oportet Po-
 tentem & Sapientem esse, oportet item bonum
 esse. Et Christus quidem Dominus dicitur,
 hoc est, Potens & Sapiens, non quidem qua
 talis est in se, nam dominium (ut vos scitis) no-
 tat aliquid quod non est absolutum, Dominus
 enim est servi Dominus. Itaque dum Christus
 dicitur Dominus, notatur illius Sipientia & Po-
 tentia, qua fuit fundamentum istius tituli qui
 relatum est. Jam Christus Potentiam, Sipientiam
 & Bonitatem suam testatus est, vel in
 mundi creatione, (quomodo Dominus mundi
 etiam dici potest, nam mundi Creator est,)
 vel in ejus redemptione. Atque ut hic obiter
 refellam argutiolam hæretici hominis, initio
 Epist. ad Heb. 1.2. dicitur Christus constitutus
 hæres omnium à Patre, per quem etiam secula
 condidit. Sic enim argutatur: Dicitur, inquit,
 Christus constitutus à Patre hæres omnium,
 quia secula condidit. Jam verò, si nomine se-
 culi intelligamus mundum hunc aspectabilem,
 Christus verò hunc mundum aspectabilem con-
 didit, quomodo, inquit, potest dici constitutus
 à Patre hæres & Dominus omnium quia secula
 condidit: nam eo ipso quod omnia condidit
 omnium Dominus est. Sed est hæc vana ar-
 gutiola, nam non dicitur simpliciter Christus
 constitutus hæres omnium à Patre, per quem
 secula

Cur
 Christi vo-
 catur.

Domi-
 nus?

1. quia
 est Cre-
 ator.

secula condidit, sed per quem etiam secula
 condidit, quasi diceret Apostolus: Hic quem
 Deus hæredem omnium constituit, is ipse est
 per quem secula condidit, alioquin non di-
 xisset per quem etiam. Hoc est ergò pri-
 mum dominium, quod tribuitur Christo in
 creaturas, nempe Dominus est, qua Creator
 est. Attamen cum Christus dicitur Dominus
 noster in Scriptura, alterum genus domini
 tribuitur Christo, nempe ratione redemptio-
 nis, redemptio enim est altera creatio. Cum
 ergo hoc loco Christus dicitur Dominus, id
 non tantum jure creationis, sed etiam jure
 redemptionis intelligendum est, ut sit idem
 Christus, per quem omnia creata sunt, & ut
 ita dicam, recreata: nempe si legamus non
 oscitanter Scripturas, videbimus Deum ab
 utròque opere petere argumenta Potentiæ
 & Sapientiæ suæ: neque Prophetæ minori-
 bus laudibus efferunt opus redemptionis
 quam opus creationis. Itaque habeant illi
 quidem Deum fictitium, & qui non fuerit
 Deus antequam conceptus fuerit, & natus ex
 Virgine, nos eum habeamus Dominum qui
 idem Deus est; nam ut loquitur Propheta
 (Isa. 45.) Dominus tuus est Redemptor tuus,
 id est. Deus & Creator tuus, nempe non po-
 tuit viribus humanis mundus redimi, alioqui
 Angelus id præstiuisset. Itaque per quem om-
 nia condidit Deus, per eundem etiam omnia
 redemit.

2. *Quis
 est Re-
 dēptor.*

Cur
Christus
vocatur
Jesus?

„ Et Christus Dominus, JESUS dicitur, ut
 „ ostendatur ratio dominatus : nempe est do-
 „ minatus, qui eo spectat, ut qui Dominus est
 „ puniat & perdat denique, quomodo Christus
 „ etiam qua mediator est, hostium suorum
 „ Dominus est, nam ut est apud Prophetam,
 „ *Pf. 110.* Dixit Dominus Domino meo, sede ad
 „ dextram meam, donec ponam inimicos tuos
 „ scabellum pedum tuorum. Sed est etiam do-
 „ minatus quidam, qui eo spectat, ut qui Do-
 „ minus est, servet & protegat eos quorum
 „ Dominus est, sic Christus non simpliciter
 „ Dominus est Ecclesiae suae, sed Dominus JE-
 „ sus, Dominus servator. Hucusque D. Ca-
 „ meron.

Doctri-
na.
Christus
mittit
Ecclesiae
mini-
stros.
Ratio 1.

Quum ergò Dominus Jesus mittat Ananiam
 ad Paulum, qui munus ministerii obiret, hinc
 discimus, Christum esse eum qui mittit Eccle-
 siae ministros : prout ipse dicit ad suos discipu-
 los, *Luc. 10. 3.* *Abite, ecce ego mitto vos ut agnos in*
medium luporum. Nam ille ipse est caput Ec-
 clesiae, non verò alius quispiam. Ideòque ejus
 est Ecclesia, & propter eum colliguntur ho-

2.
Usus 1.
Institut.

mines in eam. Ille eam redemit suo proprio
 sanguine, *Act. 20. 28.* Quotiescùnque ergo vi-
 demus deesse ministros Ecclesiae, ad ipsum con-
 fugiamus, & oremus ut emittat operarios in

Usus 2.
Horta-
tionis.

messem suam, *Luc. 10. 2.* Hoc nos etiam monere
 debet & hortari ad gratitudinem, quam mini-
 stris exhibere debemus, ne si ingratos nos præ-
 stemus, eos auferat à nobis.

De POSTERIORE Ananiæ orationis parte. *II. Pars*

Postquam Ananias nuntiavit Paulo se esse ad eum à Domino Jesu missum, jam hujus missionis ei ostendit finem, & quidem duplicem: *Oratio- nis Ana- niæ; in qua o- stendit duplicem finem sue missionis*

1. *ut visum, inquit, recipias.* Habuimus v. 8. luce illa cœlesti ita fuisse perstrictum, ut nihil videret: quocirca opus fuit ut manuductus introduceretur Damascum. Non reliquit autem Dominus eum in illa cæcitate, sed misit Ananiam, ut ei visum restitueret. *1. Finis.*

Nam tanta est ejus bonitas, ut non patiatur suos diu esse in afflictionibus, sed liberat eos inde. Paulum ex afflictione cæcitatis. Davidem ex exilio. Daniele ex fovea Leonis, Petrum ex carcere, &c. Huc pertinent verba illa plena consolationis, *Psal. 34. 20. Multæ sunt afflictiones justi, sed ex omnibus illis eripit eum Jehova.* Hoc autem ille præstat vel temporaliter, vel æterne. *Doctrina. Deus non deserit suos in afflictionibus.*

Nec aliter fieri potest: Nam, 1. Est fidus in suis promissionibus; promisit autem liberationem, præcipue vero illam, totalem, quæ ad vitam cœlestem pertinet, *1. Corinth. 10. 13. Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed una cum tentatione præstabit etiam exitum,*

ut possitis eam sufferre. Deinde, habet etiam rationem infirmitatis naturæ nostræ, ne diuturnis afflictionibus superentur & succumbant desperationi. Hinc Apostolus *Heb. 4. 15.* ait, *Nos non habere Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter*

*Ratio 1.**Ratio 2a*

Consolatio.

similiter absque tamen peccato. Unde exurgit in signis consolatio, contra omnis generis afflictiones corporales & spirituales: morbos, egestatem, mortem ipsam & sepulcrum.

2. *Finis.*

2. *Ut implearis,* inquit, *Spiritu S.* Intelligi verò dona Spiritus S. ad munus illud Apostolicum & Ecclesiasticum necessaria. Quæ dona Paulus recepit, tum quum ei imponeret Ananias manus: non ab Anania, sed per eum à Domino. Quum autem Ananiæ manuum impositione, qui fuit laicus, Paulus receperit dona illa, nonne ridiculi sunt isti, qui solis Episcopis manuum impositionem asserunt, in eum finem ut illis dona aliqua ex opere operato conferant?

Doctrin.
Ministri
Ecclesia
debent
esse in-
structi
donis ne-
cessariis.

Apparet jam ex hoc loco satis, eos qui ad Ministerium sacrum aspirant, non esse admit- tendos priusquam donis ad illud necessariis instructi sint. Non intelligimus autem dona illa extraordinaria & Apostolis propria, sed ordinaria, majora tamen quam quæ omnibus Christianis sunt communia. Ita hic videmus Paulum prius accepisse dona Spiritus S. quam emissus fuerit: imo ipse Christus priusquam accederet ad muneris sui executionem impletus fuit Spiritu S. Hinc *Psal. 45. 8.* *Dicitur unctus oleo gaudii, id est, donis instructus, præ suis consortibus, id est, majoribus & excellentioribus quam cæteri fideles: utpote ad munus tam præclarum obeundum.* Apostolos dein suos non emisit prius-

priusquam idoneis instructi essent donis, *Act. 2.1. & seq.* Et Paulus etiam ipse cur monet Timotheum, ut incumbat diligenti scripturarum lectioni?

Quod si autem *quæras* quænam sint illa quæ *Idoneitas illa* requiruntur in eo qui ad ministerium adspirat? *consistit* Respondeo, verbis D. Amesii ex *Casib. Consc.* pag. mihi 216.

1. Integritas vitæ talis, ut non tantum scandalo careat, sed etiam testimonium habeat bonum. Hoc requisitum est Apostoli, *1. Tim. 3.7. Oportet autem eum etiam bonum habere testimonium ab extraneis: ne in probrum incidat & laqueum diaboli.* Per testimonium autem illa fides intelligitur quam fecit hominibus de sua integritate, per conversationem honestam & piam.

2. Doctrinæ Christianæ notitia sive peritia supra fidelium vulgus: ad quam etiam accedere debet intelligentia eorum, quæ pertinent ad suum officium, in Ecclesia gubernanda.

3. Dexteritas aliqua docendi sive aliis communicandi notitiam illam quam habet: Hoc etiam requirit Paulus cum *1. Tim. 3. 2.* ait, *Oportere esse Episcopum aptum ad docendum.* Tale præceptum dat Timotheo, *2. Tim. 2.2. Quæ audisti à me inter multos testes, hæc committe fidis hominibus, qui sint idonei ad alios quoque docendos.*

4. Voluntas aliquomodo parata ad ministerium suscipiendum & exequendum. Quæ voluntas

luntas oriri debet non ex inopiæ aut similis incommodi metu, vel ex cupiditate superioritatis, famæ, aut lucri & similibus. (Sic enim ea de remonet Petrus, 1. Epist. 5. 2. *Pascite Dei gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo.*) Hæc enim voluntas est aliquomodo coacta, & non proprie ac directè fertur in opus ministerii: sed ex amore & zelo puro, Joh. 21. 15. 16. 17. Hucusque D. Amelius.

Ratio 1.

Hæc verò cur ab eis requirantur, ratio in promptu est: Et quidem, 1. Quod vitam attinet, ideo, quia turpe est Doctori, quum culpa redarguit ipsum, quia multi magis exemplis bonis ædificantur, quam verbis etiam magnificentissimis. Qui aliter vivit quam docet, una manu ædificat, altera destruit, aut potius nihil plane agit: nam plerumq; auditores sibi etiam licere id putant, quod suos pastores facere vident. Quocirca sane vehementer deplorandum est, inveniri etiamnum in Ecclesia Dei tales Ministros, qui non adeo exemplari vita lucent aliis: dum alius præ superbia turget, alius cæteros despicit, alius est rixosus, alius avarus, alius voluptuosus, alius potationibus deditus, alius alio implicatus vitio. Sed hoc vetus fermentum expurgari deberet ab iis, quibus summus ille Pastor inspectionem suarum commisit Ecclesiarum.

Ratio 2a

2. Quod doctrinæ notitiam attinet, hæc ab iis ideo

is ideo requiritur, ne frustra laborent, quod alias accideret. Nam quæ quis parum novit, quomodo alium docere potest?

Itaque vehementi reprehensione digni videntur illi, qui tales promovent, qui aut parum ad hoc munus sustinendum sciunt, aut in vita non sunt irreprehensibiles, quod Paulus requirit, *1. Tim. 2.2. Oportet Episcopum, id est, quemlibet pastorem, esse irreprehensum.* Promovent eos lucri causa: sed meminisse deberent gratis se accepisse à Domino hoc. Huc pertinent exempla hæc duo, quæ invenies in *Novit. Papismi Molinæi pag. 122. & 123.* Anno Christi 912. Johannes X. Archiepiscopus Ravennæ creatus est Papa: qui Archiepiscopatum Rhemensem contulit puero quinquenni, ut recitat Frodoardus 19. c. l. 4. suæ historiæ. Ipse Cardinalis Baronius hoc vituperat & dicit, Anno 925. §. 9. 10. & 11. esse rem monstruosam & inauditam inter Christianos priores, nec in spiritu conceptam, ut puer vel infans, qui vix sub magistro incipit litteras discere, eligeretur Archiepiscopus Rhemensis. Sic Anno 1033. Benedictus IX. filius Alberti Comitis Tusculani ad Pontificatum summum pervenit, natus nonnisi annorum decem.

Jam ad vos adolescentes studiosi Theologiæ, *Uusus 23*
 vos juvenum orationem meam converto, ut *Institutus*
 vos moneam, quicumque ad tam excellens munus legationis Christi tenditis, date operam ut

Media; cum Paulo nostro ante susceptionem officii
impleamini Spiritu S. Adhibentes hæc media:

1. *Primum*, est sedula nominis divini invocatio.

Nam Pater ille cælestis dabit Spiritum S. petentibus eum ab ipso, teste & promissore Christo, Luc. 11. 13.

Hujus Spiritus S. auxilii & illuminationis invocatio summe vobis est necessaria: nam mens nostra cæcutit in rebus divinis cognoscendis.

Homo animalis non percipit ea quæ sunt Spiritus S.

1. Cor. 2. 14. Quod si Apostoli hoc fatebantur se

non esse idoneos per se ipsos ad cogitandum

quicquam, *2. Cor. 3. 5.* multo magis nos ejusmodi

sancta humilitate præditos esse decet. *Secundum*

est, Diligens studium, 1. In S. litteris. 2. In re-

bus Theologicis. 3. In linguis Hebraica &

Græca. 4. Etiam in historiis profanis, quæ

non raro magnam lucem adferunt interpreta-

tioni locorum sacræ Scripturæ.

2. *Studia*
que eor-
um qui
tendunt
ad Mini-
sterium?

VERSUS XVIII. & XIX.

Pars media.

Statim autem deciderunt ab oculis ejus quasi squame, & visum recepit illico, ac surgens baptizatus est. Et quum cepisset cibum corroboratus est.

EXPLICATIO.

PRæcedente proximo versu habuimus expli-
cationem illustris illius legationis, quam
Christus Dominus instituerat & expediverat
ad Paulum. Sequitur jam ejusdem eventus &
quidem respectu Pauli ipsius. Postquã n. Ana-
nias omnia expedivit, Paulus non tardavit mu-
nus suum

nus suum facere: nam statim baptizatus est, quum prius visum recepisset. Tria ergo in istis verbis habemus, quæ legationem illam sunt secuta:

1. Quod Paulo usus oculorum fuerit restitutus.
2. Quod fuerit baptizatus.
3. Quod se roboravit sumpto cibo.

DE PRIMO.

Restitutionem visus ita narrat Lucas: *Statim I. Paulo autem deciderunt ab oculis ejus quasi squammæ: id est, quum Ananias ei loqueretur & manus imponeret, dicendo, Dominus Jesus me misit ut visum recipias: statim, ex improvviso usum oculorum recepit: ita ut viderentur ab oculis ejus decidisse quasi squammæ.* visus restituitur. Calvini incomparabilis Theologi in hunc locum observatio est, hanc Pauli excacationem non ex solo metu, vel stupore contigisse: sed hoc modo admonitum fuisse pristinae cæcitatibus, ut confidentiam, qua turgebat, prorsus exueret. Certum est quod sibi vehementer placebat in ea eruditione quam discendo ad pedes Gamalielis acquisiverat, quæ tamen mera fuit cæcitas, & tenebræ.

Ita verò res habet non tantum cum Paulo, Doctrin: Homo ante suã Conversionem est cæcus sed cum omnibus hominibus: nam ante suam conversionem plane sunt cæci in rebus divinis & ad salutem suam spectantibus. Cæci sunt non in corpore, sed in anima. Expresse Paulus

spiritua-
liter.
Nam
non vi-
det.

testatur, 1. Cor. 2. 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere.* Neque hic opus est pluribus testimoniis, quandoquidem ipsa experientia hoc abunde docet. Unde enim inter Gentiles tot fuerunt diversæ sententiæ de religione, & quidem omnes malæ: tot absurdæ sententiæ de Deo, ejus providentia, operibus, nisi ex hac cæcitate humanæ mentis? Naturaliter enim ita est cæcus homo, ut non videat, 1. Suam miseriam, nec causam ejus. Mæxima miseria est peccatum, quo nullum majus malum, ne æterni quidem infernales cruciatus, quorum peccatum est causa. Illud etiam nos separat à Deo & ejus communionem, quæ est unica nostra felicitas. *Iniquitates vestræ, inquit Esaias, c. 59. 2. disterminant inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra faciunt, ut occultet faciem à vobis, ne exaudiat.* Talem cæcitatem non videntem suam miseriam Paulus notat in omnibus Gentilibus, lumen verbi Dei non habentibus, *Ephes. 4. 18. Ne amplius ambuletis (vos Christiani) sicut reliquæ Gentes ambulant, in vanitate mentis suæ, tenebris obscuratam mentem habentes, & alienati à vita Dei propter ignorantiam, quæ est in ipsis.* Christus etiam hoc nomine reprehendit Ecclesiam Laodicensium, *Apoc. 3. 17. Dicus dives sum, & ditatus sum, & nulla re mihi est opus: neque nosti te esse ærumnosum & pauperem, & cæcum & nudum.* 2. Non videt beneficia Dei in Christo exhibita, imo ne ipsum

ipsum Christum; nemo enim ad eum venit, nisi quem traxerit Pater. Quam ob causam Paulus etiam fidem in Christum donum Dei esse dicit expresse, *Eph. 2.8. Gratia estis servati per fidem: & hoc non est ex vobis: sed Dei donum est.* Et ad Philip. *c. 1. 29. Gratis datum est vobis in Christi negotio non solum in eum credere, sed etiam pro eo pati.*

Jam nobis excutiendæ sunt causæ hujus cæ- Ratio
 citatis, & mali origo investiganda. Deus enim hominem cæcum in anima non creaverat, sed instruxerat duobus internis oculis. Conformem siquidem animam sibi fecerat in sapientia & justitia. Sapientiæ oculo exquisite cognoscebat Deum, ejus opera & seipsum. Justitiæ oculo videbat quomodo Deus & proximus esset perfecte diligendus. Verum jam ante conversionem homo nihil videre potest salutariter; idque ob has duas causas. I. Quod oculos mentis suæ amisit per peccatum & lapsum Adami, cujus peccatum effecit, ut oculi mentis quos acceperat, converterentur in summas tenebras & plusquam Cimmerias. In quibus tenebris etiam illi pereundum fuisset, nisi Deus ex gratiosa revelatione eum edocuisset de modo, quo recuperari posset amissa felicitas, nempe per semen mulieris.

Si vero dicas hic mihi; Quomodo vero hoc Questio.
 fieri potest, ut quia Adam cæcus factus, propterea omnes homines sint etiam cæci redditi?

Respondeo, omninè rem ita habere. Nam lumen illud amissum dona eximia fuerunt Dei, quæ Adamus acceperat à Deo non tantum pro se, sed etiam pro omnibus suis posteris. Quia non fuit aliqua privata, sed publica persona, radix totius generis humani: imò fuit totum genus humanum repræsentative: nos in ejus lumbis omnes fuimus, quemadmodum Levi in lumbis Abrahami, quum daret decimas Melchisedeco: & quanquam istas decimas solus Abraham daret, tamen Apostolus, Heb. 7. 9. non dubitat dicere, in Abrahamo decimatum esse etiam ipsum Levi. Quemadmodum ergo si Adam dona illa retinisset, fuissent derivata etiam in nos, ita, quia ea amisit ille, nos ipsis etiam privati sumus. Nec aliter quidem esse potest: quomodo enim Adamus lepra infectus potuit gignere liberos nisi etiam leprosus? num imundus potest mundum producere? nequaquam sane.

Ratio 2. 2. Quia Christus solus est Sol justitiæ, qui ubicunque non lucet, ibi meræ sunt tenebræ. Ubicunque autem lucet, ibi homo statim incipit oculos aperire, & videre, ac se ad Deum convertere. *Ille enim est lux illa vera, que illuminat omnem hominem venientem in mundum, Joh. 9.* Ideoque David, *Psal. 119. 18.* petit sibi mentis oculos aperiri, ad videnda mirabilia Legis divinæ. Hæc lux rectè à Theologis vocatur Gratia præveniēns & præparans. *Prævenie*

venit enim animum peccatoris nondum conversi, inspirando ei bonas cogitationes de humanae miseriæ magnitudine, & felicitate conditionis ad quam evahi possit. Præparat eum etiam ita, ut affulgens illud lumen spirituale videat & sequatur.

Aperiamus igitur oculos nostros & videamus miserrimam hominis absque Christo viventis conditionem ! quæ aliquomodo illustrari potest similitudine desumpta ab homine corporaliter cæco ; quo miserius nihil est in hac vitâ. Hinc nonnulli cæci nati hoc unice desiderabant, ut videre possent, quid sit lux & colores. Primo quidem homo cæcus nihil potest facere : ita nec homo spiritualiter cæcus absque Christo: nostra opera Deo non placent, sunt immunda coram eo. Et quid mirum, quum à Christo vocemur servi inutiles etiam post conversionem, *Luc. 17. 10. Quum feceritis omnia quæ edicta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus: multo ergo magis ante conversionem.* Atque inde est, quod Christus omnes homines comparat cum operariis ociosis stantibus in foro, *Matth. 20. 3. 2.* Homo cæcus semper in magno versatur periculo: metuendum enim est ei, ne aut in foveam aliquam incidat, vel offendat ad lapidem, ad parietem, &c. Ita homo spiritualiter cæcus semper timere debet ne incidat in foveam æterni exitii, ne offendat Deum, ejusque iram in se devolvat.

Usus 1.
Institutionis.

Comparatio hominis cæci cum cæco spirituali.

O quam

Ufus 2.
Institu-
torius.

O quam felices ergò sunt illi, qui ab hac cæcitate spirituali sunt liberati, & ex statu peccati in statum gratiæ Dei translati! jam vident cum Paulo clarè. Quod ipsum nobis etiam occasionem dare debet, ut nos examinemus, si musne adhuc in statu illo cæco, an videnti? quod planè est necessarium: nam sine ejusmodi cognitione status nostri non possumus habere pacem aut conscientiam tranquillam. Jam verò signa illius cæcitatis sunt hæc præcipua:

Signa
cæcitatis
spiritua-
lis: 1.

2.

1. Ignorantia crassa eorum quæ pertinent ad vitam spiritualem, per hanc enim homines alienantur à Deo. 2. Peccatum regnans, quando nimirum voluntas hominis appetitui inordinato plane & plene consentit. Unde tales homines dicuntur perpetrare peccata cum pleno voluntatis consensu: qui ex eo cognoscitur, si in consilio deliberato, vel utile vel jucundum, plus valeat apud eum, quam honestum & pium: item si peccati perpatratio lætitiâ ipsi potius quam dolorem adfert. 3. Rejectionis viarum Dei. 4. Odium correctionis. 5.

3.

4.

5.

Contemptus minarum & judiciorum Dei. Tales describuntur Psal. 36. 2. *Dictum defectionis ad improbum, in intimo cordis mei est, coram ejus oculis non esse pavorem Dei.*

Media,
ut spiri-
tuali cæ-
citate li-
beremur.

At inquires: quid ergo mihi censes faciendum, qui me adhuc in illo miserrimo cæcitatis statu invenio, ut sim in statu visionis vel gratiæ? Respondeo, istis opus tibi esse: 1. Humiliatio-

ne cor-

ne cordis vera, quæ consistit in dolore ac timore propter peccata, & in eorum confessione. Hæc humiliatio adeo est necessaria, ut nisi quis se humilaverit in statu peccati, ad statum gratiæ nullo modo possit evehi. 2. Vehementi desiderio illam gratiam assequendi, quod scriptura vocat esuriem & sitim spiritualem. Unde ipse Deus tales ad se vocat, *Esa. 55. 1. Heus quisquis sitit, venite ad istas aquas, & cui est nulla pecunia; venite, comparate & comedite, venite, inquam, comparate absq; pecunia & absq; pretio vinũ & lac.* 3. Fide vera & resipiscencia, qua peccata deserimus, & Deo nos devovemus totos. 4. Precibus, in quibus ad Christum solem justitiæ est confugiendum, ut oculos mentis nostræ aperire dignetur, & ex statu misero peccati in statum gratiæ felicem transferre.

DE SECUNDO.

Quod fuerit baptizatus, hoc est in verbis: *Il. Paulus surgens baptizatus est.* id est, extemplò sine mora baptismum recepit; qui illi fuit certum documentum internorum Christi beneficiorum & symbolum fidei Christianæ. Quam utilitatem baptismus adferat, ante ostendimus. Hic breviter excutiendum nobis est; Quis ille fuerit, qui Paulum baptizavit? ut possimus videre, an Pontificii ex hoc loco possint evincere Laicos hodie posse baptizare. Nullum est autem dubium quin Paulum baptizaverit Ananias, de quo jam supra mentio facta est, & dictum fuit,

2.

3.

4.

Il. Paulus baptizatus.

Questio, An Laici permissum sit baptizare?

fuit, cum fuisse unum aliquem ex communibus discipulis Christi, vel, ut hodie dicunt, Laicis. Non sequitur autem: Si Ananias Laicus Paulum baptizavit, ergo hodie quoque Laici possunt baptizare; idque propterea, quia Ananias à Deo immediatè fuerat vocatus ad illud Ecclesiasticum & sacrum munus peragendum, ut vidimus jam *v. 9. 11. 15. 17.* Deinde rectè respondent Theologi ad hoc illorum argumentum: Si Laicorum Baptismus hoc Ananiae nititur exemplo, sequitur, etiam extra necessitatis casum licere baptizare Laicis: (quod tamen illi non concesserint.) Nam Paulo tum non incumbere necessitas suscipiendi baptismum, nisi ratione mandati divini.

*Doctrin.
Qui Christi
sum re-
cipiunt,
baptizari
debent*

Quia verò Paulus statim ac fidem suscepit in Christum baptizatus est, videmus omnes eos, quicumque fidem in Dominum Jesum suscipiunt, debere baptizari etiam. Ita Apostoli omnes tales baptizabant, ut patet ex *Act. 2. 34. & 8. 38.* Non intelligo autem hic solam fidei professionem, quæ est fidei signum & effectum: sed etiam omnem fidei actum: quem quicumque habet, baptizari debet; idque ob has causas:

Ratio 1. 1. Quia Christus mandavit, dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, Matth. 28. 20.* Hoc mandatum non ad solos adultos pertinet, nisi habita ratione illius temporis quo Apostoli in mundum emitterentur & baptizarent: ubi non fuerunt

fuerunt infantes Christiani, sed vel gentiles, vel Judæi.

2. Quia æquum est, ut eis conferatur symbolum, qui ipsam rem habent: justum est, ut ii accipiant extra signum, qui intus habent rem signatam, nempe ablutionem à peccatis sanguine Christi, Spiritum Sanctum, remissionem peccatorum, regenerationem. Hoc argumentum est ipsius Petri: nam quum videret in Gentes effusum fuisse donum Spiritus S. respondit: *Num quis aquam prohibere potest, quominus videlicet baptizentur isti, qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos. Et præcepit eos baptizari in nomen Domini, Act. 10. 45. 47. 48.*

Hujus probè meminisse deberent Anabaptistæ, Sociniani, Menonitæ, & alii, qui non omnes fidem habentes baptizant, sed tantummodo eos qui eam profiteri possunt: idq; alii anno ætatis duodecimo, alii seriùs paulò, alii nonnisi demum quum matrimonium contrahunt: hoc in Frisia non est inusitatum. Verum enim infantes statim baptizari debent, quia habent fidem; non illam quidem actualem, notitia, assensu, & fiducia constantem: cujus gignendæ ordinarium est medium, Verbum Dei: sed habitualement, vel semen, & radicem fidei, quam in illis generat Spiritus S. immediate. Vehementer enim illi falluntur, qui infantibus omnem detrahunt fidem. Nam si omni prorsus carent fide, aut nulli salvantur infantes, quod

Ratio 2.

Refutatio Anabapt. & Socinianorum.

Infantes debent baptizari.

tes, quod est falsissimum, ut exemplo infantis Davidis clarum est: qui illo mortuo dixit se iturum ad illum: nec hoc de morte & itinere in sepulchrum intelligi potest; quia David quū prius tristaretur, verba illa proferens lætabatur. Quis autem lætatur se moriturum? Vel si aliqui salvantur, gemina erit salutis obtinendæ ratio: una pro adultis, altera pro infantibus, quod scripturæ est contrarium. Nam ea non nisi unam docet viam in cœlum, fidem in Christum Jesum: Hic possemus producere alia exempla pro Baptismo infantum: sed quia de eo loco non expresso hic agitur, supersedebimus, & respondimus ad objectiunculam.

Object.

Objectio, In antiquâ Christianorum Ecclesiâ quidam non baptizabantur nisi ante ipsam mortem, vel moribundi, differebant hunc actū

Respons.

ad mortem usque. *Respondeo*, non esse nobis agendum exemplis, sed præceptis. Fuit enim iste error gravis Novatianorum hæreticorum, qui statuebant homini non dari aditum ad gratiam Dei, si post baptismum peccaverit. Quo errore aliqui decepti, differebant baptismum usque ad mortem: verum error est, quia hoc nullibi in scriptura reperitur: & quia tota hæc vita nostra est tempus acceptum, & dies salutis, ut Apostolus monet, 2. Cor. 6. 2.

DE TERTIO.

III. Pan-
tus cibo

De eo ita ait Lucas, *Et sumpto cibo, corroboratus est.* Triduum jam jejunaverat: non prius ta-
men

men sumpsit cibum, quam baptizaretur, id est, *roboratus.*

Habemus itaque in eo imaginem hominum *Doctr.*
salutem animarum suarum amantium; & res *Qui a-*
divinas pro suo summo oblectamento habent *mant a-*
tium. Nam eorum est ingenium, curare prius a *nimam*
nimam quam corpus: illi primo de cibo pro *suam, re-*
spiciunt, deinde corpori, & quidem sæpè tanta *bus divi-*
delectatione rerum spiritualium detinentur, ut *nis ma-*
cibi & potus obliviscantur corpori destinati. *xime de-*
lectan-
tur.

Moses annon quadraginta dies & noctes fuit
in monte contemplanus res divinas, nec edens
quicquam toto illo tempore? *Exod. 19. 6.* Fide-
les Troade Paulum audiunt libenter, licet ser-
monem protraheret in multam noctem, *Actor.*
20. 9. Atque ejusdem naturæ sunt omnes alii
homines pii.

Nec mirum, nam 1. hac in parte sequuntur *Ratio. 1.*
exemplum sui Domini & magistri, qui cum ei
discipuli cibum adferrent, respondit: *Ego cibum*
habeo quendam, quem vos non nostis, Joh. 4. 32. 34. *Esca-*
mea est exequi voluntatem ejus qui misit me, & con-
summare ipsius opus, nempe, in tractando res sã-
cras cum muliere Samaritana: cujus conversio-
nem prætulit curæ corporis sui.

2. Deinde, meminerunt hoc sibi esse expresse
mandatum, *Matth. 6. 33.* *Ne sitis solliciti, dicentes:*
Quid edemus aut bibemus, aut quo amiciemur? sed
querite primo regnum Dei, & justitiam ejus, & ista
omnia adjicientur vobis.

3. Ratio

3.

3. *Ratio ipsa etiam sana id eis suadet.* Nam anima est principalis pars hominis, infinito modo excellentior corpore. Est à Deo inspirata in corpus non autem creata ex aliqua materia, ut corpus hominis: participat aliquo modo ejus divinitatem, est ejus imago. Habet enim cum Deo quandam conformitatem in spiritualitate & immortalitate. Uti enim Deus est spiritus immortalis, ita anima spiritualis & immortalis. Hæc autem quantur præstant corpori terreno & mortali, quis non videt? magna ergò subest hic ratio, cur anima magis curetur quàm corpus.

4.

4. *Non sunt nescii præterea, totam eorum felicitatem in eo consistere, ut anima benè valeat, & ut saturetur bonis mensæ Domini.* Ita enim saturata, 1. *Fruitur pace, & tranquillitate, & quiete jucundissima.* Saturatio enim hæc & cura animæ nihil aliud est, quam acquisitio justificationis, qua *justificati homines ex fide, pacem habent erga Deum apud Dominum nostrum Jesum Christum, Rom. 5. 1.* 2. *Certa est, quod ne post mortem quidem eluriet aut sitiet, hoc enim in æternum illis non accidit, qui hic manducant carnem Christi spiritualiter, ut ipse Christus loquitur, Joh. 6. 51. ego sum panis ille vivus qui è cælo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Hæc fuit Davidis consolatio, ut patet Ps. 17. 15. *Domine, ego in justitia videbo vulcrum tuum, satiabor quum expergiscar similitudine tui.* O feli-

O felices ergo illas animas, quæ ita rebus *Ufus I.*
 spiritualibus hic satiantur: nam in æternum re- *Institu-*
 bus cœlestibus satiabuntur, nec unquam esuri- *tionis.*
 ent! *Non esurient amplius*, dicit Spiritus S. *Apoc 7.*
16. 17. Neque sitient amplius, neque in eos cadet sol,
neque ullus æstus. Quoniam agnus qui in medio thro-
ni est, pascet eos, & viæ duxerit ipsis, ad vivos fontes
aquarum; & abstersurus est Deus omnem lacrymam
ab oculis eorum. Hujus saturitatis cœlestis, si et- *Ufus II.*
 iam nos cupimus esse participes, necesse est cum *Hortat.*
 nostro Paulo hic primo semper animam cibare
 & deinde corpus. Quemadmodum Dominus
 mandat clare, *Job. 6. 27. Operemini non cibo qui*
perit, sed cibo illi, qui permanet in vitam æternam,
quem filius hominis dabit vobis. At quæres, & qui-
 dem jure: in quo consistit hæc cura animæ? Re-
 spondeo, præcipuè in duobus:

1. *Primò*, ut sit Deo reconciliata. Reconcilia- *Cura A-*
 tio nostri cum Deo est fundamentum felicita- *nima cõ-*
 tis nostræ & complementum. Qui verò Deo *sistit in*
 non est reconciliatus, in eo manet ira Dei. O mi- *eo; 1.*
 serum huic! Quid enim illi profuerit totum
 lucrari mundum, si Deus animæ ejus iratus,
 eam in locum beatorum non recipiat, sed able-
 get ad æternos cruciatus, dicens: *Abi maledi-*
cta, in ignem æternum, qui paratus est diabolo
& angelis, Matt. 25. 41. Quod ne accideret nobis,
 Deus ex summa misericordia legatos ad nos mi-
 sit, qui nos ei reconcilient: ut loquitur Paulus,
2. Cor. 5. 20. Deus posuit in nobis sermonem illum recon-
ciliatio-

Media
ad Re-
concilia-
tionem
confe-
quendā.

1.

2.

3.

ciliationis: Itaque nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo vos rogante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo. Ut autem Deo reconcilieris ô homo, cui salus animæ tuæ cordi est, opus est, 1. Fide vera in Christum Jesum. Ea illum amplectere tuum Salvatorem, in eo totam salutis tuæ fiduciam colloca. Nam non est in alio nomine salus hominibus proposita, quam in nomine dulcissimo Jesu. 2. Justificatione coram Deo & remissione peccatorum tuorum. Nam non nisi justificati pacem habent cum Deo: non alii sunt beati, quam illi quibus remissa sunt peccata, & quorum iniquitates sunt obtectæ. Nihil immundum consistere potest coram Deo, ideóque ablutione per remissionem acquisita omninò opus est. 3. Applicatione meriti & satisfactionis Christi. Nam non satis est, deponere vestem laceram & immundam, sed opus est indui veste nova & pulchra, in qua ausimus procedere in conspectum Majestatis Dei. Et quia nos ipsi non possumus nostris operibus bonis ejusmodi vestem nobis comparare, sine sanctimonia autem vitæ nemo videbit Deum, applicemus nobis Christi meritum, satisfactionem, obedientiam activam & passivam. Ideo enim in hunc mundum venerat, ideo legem Dei impleverat, ideo mortuus fuerat.

Cura anime
2. pars.

2. Deinde, ut in hoc statu Reconciliationis cum Deo semper permanear. Quid enim juvaret in.

ret incipere benè currere, si in medio cursu subsistas, nec ad metam pervenias? Christus præmium nonnisi iis promittit, qui ad finem usque apud eum perseverent, *Matt. 10. 22. Apoc. 2. v. 10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Conservanda est ergo anima in illo statu beato: id quod fiet, 1. *Frequenti* verbi divini auscultatione, lectione, & meditatione. Verbum Dei est cibus animæ nostræ. 2. *Pre-* *cibus* ardentibus, quibus assiduo orandus est Deus, ut opus hoc quod cœpit, in nobis etiam continuet usque in diem Jesu Christi. Nam ille ipse dat incipere & perficere. Non est in nostro velle, velle perseverare; sed in ejus bonitate & misericordia. 3. *Usu* aliorum etiam administratorum externorum, imprimis Sacramento Cœnæ Dominicæ: item societate & conversatione hominum vera pietate præditorum.

Quid verò jam hic dicent illi, qui primò corpori prospiciunt, deinde animæ, aut illi qui nihil de ea sunt solliciti? utinam sequantur Pauli exemplum! At unde in illis provenit tanta salutis neglectio? dicam: 1. *Putant* ideo in mundo esse se positos, ut corpus benè valeat: ideoque illud tantummodo saginant, cum divite illo, *Luc. 16. c.* 2. *Existimant* animæ optime esse prospectum, si corpus benè valet: quum plerùmque contrarium inveniat. Nam luxuriant animi rebus plerùmque secundis. Ideoque miseri vos, cogitate quomodo ex isto statu in

Media

1.

2.

3.

Repre-
hens.Impedi-
menta,

1.

2.

alium transeatis: adhibitis mediis, paulò supra jam à nobis propositis.

V E R S U S XIX. medius, &
XX. totus.

Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot. Et statim in Synagoga prædicavit Christum, nempe eum esse Filium illum Dei.

E X P L I C A T I O.

ITa explicavimus legationem Ananiae & ejus quosdam effectus ac eventus. Jam postremo loco sequuntur ea, quæ proximè subsequuta sunt Pauli conversionem. Duo habemus his versibus, cætera sequentibus duobus. Itaque narrat Lucas, quod Paulus,

1. Remanserit Damasci.
2. Quod prædicaverit Christum.

D E P R I O R E.

1. Paulus
remanet
Dama-
sci.

De eo quod Paulus remanserit Damasci, ita habet Lucas; *Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot.* In quibus verbis ostendit Lucas præter id, quod per dies aliquot commoratus fuerat Damasci Paulus, etiam personas, quibuscum toto illo tempore statim à sua conversione conversaretur: eæ autem fuerunt discipuli Christi, qui tum temporis Damasci erant, homines pii, qui fidem suam in Christum non tantùm externa nominis ejus professione ostendebant, sed etiam bonis operibus ac vitæ honestate comprobabant. Inter tales vixit Paulus, non ivit ad suos cognatos vel
notos

notos, quos sine dubio ibi aliquos habebat, qui erant hostes Christiani nominis & Ecclesiæ Dei: quin potius sibi ab illis cavet diligenter. Docens hoc suo exemplo:

Quod illi qui fidem veram & vivam in Christum Jesum receperunt, eiq; nomen suum dederunt, debent se à mundo & hominibus impiis, Christi doctrinæ contrariis seperare, societatem verò colere cum discipulis Domini, hominibus piis. Officium hoc omnium fidelium melius apparet, ex mandatis Dei Spiritus expressis, *Esa 52. 11.* Quod etiam reiteratur, *Apoc. 18. 4. 5.* *Exite ex Babylone popule mi, ne participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis. Nam accumulata peccata ejus pertigerunt usque in cælum, & recordatus est Deus scelerum ejus.* Quod mandatum licet de Babylone propriè sit conceptum, tamen rectè ad omnes peccatores impios accommodari potest. Sic *2. Cor. 6. 14. 17.* *Ne impari jugo copulamini cum infidelibus: quod enim consortium justitiæ cum legis transgressione? & quæ communicatio lucis cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli? Et quæ consensio templo Dei cum simulacris? nam vos templum estis Dei vivi: sicut dixit Deus; Habito in eis & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite, tum ego excipiam vos.* Fundamentum autem istius doctrinæ, non tantum est

*Doctrinæ
Fideles
debent
se à mun-
do sepa-
rare.*

Dei mandatum, sed etiam exempla omnium piorum: tum rationes aliæ quædam, quarum hæ sunt præcipuæ:

Ratio 1.

1. *Prior* desumitur à summo periculo, in quo versantur illi, quicumque incautius conversantur cum idololâtris vel hominibus superstitionis, vel impiis & profanis. Qui enim pietatem tangit, maculatur ab ea: & qui ignem tractat, impossibile est quin aliquando aduratur. Una scabiosa ovis totum gregem inficere solet. Peccata enim sunt instar pestis, à qua nisi sibi caveant homines facillime inficiuntur. Ideoque Paulus non absque jure incestuosum illum ex Ecclesia Corinthiorum jubet ejici, 1. Cor. 5. 7.

Ratio 2.

2. *Alterâ* sumitur à proprio fine vocationis Christianorum: ideo enim Deus nos ad fidem vocat Christi, & ex mundo evocat, ne cum eo societatem habeamus. Sed potius ut fructum veræ pietatis feramus, monente ipso Domino, Joh. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui vos, ut abeuntes fructum feratis, & fructus vester maneat.*

Hortatio.

Quum autem nos quoque cum Paulo Dei gratia, fidem in Christum receperimus, nonne justum est & æquum, ut ejus exemplo omnia prava consortia evitemus, & communionem cum hominibus piis habeamus? Sane. Verùm dices: Quomodo me debeo separare à mundo, quum in eo vivam? *Respondeo*, me non intelligere hanc machinam, sed homines. Iterum dices:

Mediâ.

dices: Quomodo sibi ab impiis cavere quis potest, quis novit qualis est quis? *Respondeo,* facile poteris, observatis istis regulis. 1. Non est habendum commercium cum eorum idololatria & superstitionibus. Nam quod politica commercia attinet, ea tolli non possunt, nisi tollatur etiam simul humana societas. 2. Qui jam semel ad Christum adductus est, nunquam ab eo discedat, sed ad mortem usque apud eum maneat. 3. Quod verò ad homines vitæ impiæ, ii sunt aut manifesti aut hypocritæ. Manifestorum conversatio omninò est fugienda, atque huc pertinet ratio Pauli, *1. Cor. 15. 33. Mores bonos corrumpunt commercia mala.*

Cum hypocritis tamdiu conversandum est, donec experiaris eos piorum conversatione esse indignos, quamdiu tales manent. Ubi nobis in mentem venire debet punitio Dei, qui omnes impios punire statuit, prout comminationem ejus jam vidimus ex *Apoc. 18. 4.*

DE POSTERIORE.

De eo quod prædicaverit Christum habemus *v. 20.* Ubi iterum tria distinctè nobis sunt consideranda: 1. *Tempus*, quo prædicaverit Christum. 2. *Locus* in quo hoc fecit Paulus. 3. *Ipsam prædicationem.*

PRIMUM quod attinet, tempus exprimitur *1. Tempus. ita, Et statim;* id est, ac baptizatus fuit & cibo utcumque corroboratus: statim ac didicit doctrinam Christi, partim ab Anania & aliis discipulis,

pulis, partim ab ipso Christo per internam Spiritus S. illuminationem & operationem.

*Doctr.
Fideles
promove-
vent stu-
diose sa-
lutem
suorum
proximo-
rum.*

Apparet autem in Paulo magnum & impatiens desiderium salutis proximorum ejus eorumque; ædificationis spiritualis: nam quod ipse didicit, idem ut alii scirent cupivit. Hoc namque est natura omnium verè fidelium, quod desiderant ædificationem aliorum. David vocat ad se juvenes, *Psal. 34. 12. & seqq. Agite filii, auscultate mihi, reverentiam Jehovæ docebo vos. Quis est vir ille, qui delectatur vita, amat dies, amat frui bono? Custodi linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur fraudem, &c.* Ubi instruit homines, quomodo possint Deo placere, & salutem suam consequi. Idem de se fatetur *Job, 6. 29. 21. 22. 23. Mihi auscultantes expectabant & conticescebant ad consilium meum. Post verbum meum non iterabant: ita super eos stillabat sermo meus. Expectabant enim tanquam pluviam me: & os suum distendebant, ut ad pluviam ferotinam. Sic Asaph Ps 78. 1. 2. Auribus percipe, popule mi, doctrinam meam: inclinate aurem vestram ad sermones oris mei. aperiam per parabolas os meum, eruñtabo occulta inde à prisco tempore.* Omnes alii fideles dicunt, *Esa. 2. 3. Venite, ascendamus in montem Domini & domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis suis, & ambulemus in itinibus suis.* Tale autem desiderium unde est in illis? 1. Ex peculiari quodam Spiritus S. instinctu: nam sine eo ne nominare quidem Jesum possumus Dominum, testante Paulo, *1. Cor. 12. 3. Verum*

Ratio 1.

Verum is quem ille intus instruit donis suis & fervore illo sancto, statim aliis etiam significat, eosq; eadem docet, quæ ipse scit. Apostoli Domini statim ac repleti fuerunt Spiritu S. loquebantur magnalia Dei, *Act. 2. 4.* Sic illi auditores Petri, in quos effusum fuit donum Spiritus S. ideoque statim loquebantur linguis & magnificabant Deum, *Act. 10. 46.*

2. Provenit hoc in illis ex amore quo affecti sunt erga proximum suum: unde fit, ut ei non invident illud bonum quo ipsi jam fruuntur: hæc enim est una proprietates charitatis veræ & non fucatae, ut loquitur Apostolus, *1. Cor. 13. 4.* Non invidet charitas.

Ratio 2.

O quam pauci hodie tales inveniuntur, quibus sit cordi salus & ædificatio proximi! Quotusquisque est qui doceat eum in rebus salutaribus? *Verum* objicere solent pleriq; hæc duo: *Respons. ad. Objectionem* 1. An ego sum minister, ut concioner? an ad me hoc pertinet? Sed *respondeo*, me heic non intelligere ejusmodi institutionem quæ fit per modum concionandi, & quæ proprium est officium Pastorum Ecclesiæ: absit; nam in id officium nemo se ingerere debet, sed is tantummodo exsequi, qui legitimam habet vocationem. Sed intelligitur hoc loco institutio privata, in locis extra sacras congregationes, in familiari conversatione, quæ consistit in docendo proximum ignarum, in reprehendendo eum errantem, in consolando afflictum.

Repre-
hensio.Respons.
ad. Obje-
ctionem
1.

*Ad Ob-
ject. 2.*

2. Risui me aliorum exponam, irridebunt me. Nam si hoc Paulo accidit Athenis, ut dicerent quidam: Quid vult garrulus iste dicere? *Act. 17. 18.* Quid ergo ego sperare debeo, præferim in hac mundi corruptione? Sed *respondeo* & dico, non debere te illa quicquam curare: nihil te talia moveant. Nam, 1. Satisfacies officio tuo, quod est commune omnibus Christianis: sunt enim Sacerdotes spirituales. 2. Ipse Dominus non erat nescius, discipulos suos male acceptum iri à mundo, & tamen non dubitavit eos **emittere**, *Matt. 10. 17. & seq.* 3. Tuus labor non erit omnimodo frustraneus, si non omnes, aliqui tamen te recipient & tuis sermonibus dabunt locum.

2. Locus.

SECUNDUM quod attinet, Lucas dicit eum *prædicasse in Synagogis*. Synagogæ erant scholæ Judæorum per varia urbis Hierosolymitanæ loca dispositæ in eum finem, ut in illis conventus suos agerent, & vel disputarent, vel discerent explicationem Legis Mosaicæ. Fuit autem cuiuslibet permissum eo itare & alios docere vel disputare. In illis scholis & synagogis maximi erant & infensissimi hostes doctrinæ Christi, & ejus discipulorum, quibus Christus ipse hoc prædixit, *Joh. 16. 2.* *Movebunt vos*, inquit, *Synagogis*. Ibi erant seniores Judæorum, Sacerdotes, Episcopi, Scribæ, Pharisei. Nihilominus tamen videmus Paulum etiam inter illos maximos suos hostes, in Synagogis Damascenis Christi doctrinam

doctrinam prædicare audacter & intrepide.

Unde observare possumus, Deum aliquando nonnullos suorum cultorum & servorum tanta constantia ornare & animi fortitudine, ut ne infensissimos quidem hostes timeant: quin potius ut etiam inter illos ipsos libere Christum prædicent: quemadmodum jam Paulum hic vidimus. Elias nonne Regem Achabum inimicum suum reprehendit in faciem? adeo ut impius ille Rex ei diceret, *2. Reg. 21. 20. Invenisti me inimice mi? Cui Elias respondit: inveni, eo quod dedisti te ad faciendum, quod malum videtur in oculis Jehovæ.* Paulus idem, ne in vinculis & catenis cessavit Christum prædicare Romæ: adeo ut vincula ejus in Christo celebria fuerint in toto prætorio, ac reliquis omnibus, *Phil. 1. 13.* Petrus verò quam libere loqueretur in Senatu principum Judæorum, vide *Act. 4. 8. Nam repletus Spiritu S. intrepide nomen Jesu Christi eis prædicabat.* S. Andreas quum jam in cruce esset, eum concionabatur, & quidem triduo continuo. Unde jam patet, quid sit illa animi fortitudo? nempe talis fortitudo, qua parati sumus ad officium præstandum, quæcunque tandem difficultates & pericula occurrant. Ejus habemus exemplum in illis Hebræis: quos Paulus eo nomine commendat, *Heb. 11. 34. 35. 36.* Fundamentum hujus animi fortitudinis in eis est; 1. Quod non illi loquantur, sed Spiritus Dei per illos, qui ejus tantum sunt instrumenta: ut loquitur Domi-

Doctrin.
Deus aliquando quosdam instruit fortitudine animi magna.

Ratio
1.

2. nus, *Matt. 10. 19. 20.* 2. Quod habeant certam spem de victoria obtinenda, secundum promissionē Christi, *Matt. 16. 18.* ubi promittit, Ecclesiae doctrinam non iri superatum ab ipsis portis inferorum.
3. Quia certo sciunt causam suam esse optimam: causa hæc non est ipsorum propria, sed Christi, quem illi concionantur & defendunt, non autem errores aliquos. Unde sciunt Deum sibi adfuturum, neque causam suam deserturum. Quod etiam ab ipso petunt. Lutherum hac animi fortitudine præditum fuisse scimus. Hæc in eo cum alias apparuit, tum quum ingressurus esset aliquando in confessum adversariorum suorum, rationem doctrinae suæ daturus, ante ipsas fores hanc precatiunculam direxit ad Christum: Domine Jesu Christe, eo defensam causam non meam sed tuam; Ne ergo eam deseras, te oro.

Ufus
Consolatorius.

Eximia hæc est profecto consolatio pro istis miseris & afflictis Ecclesiae in multis locis temporibus: ubi videmus adversarios augeri, veritatem paulatim opprimi: ubi minæ eorum audiuntur quibus interminantur se non permisso amplius loqui & puram Christi doctrinam prædicare: Verum ne moveamur istis, etiam si interdican loqui, instruet Deus aliquos spiritu fortitudinis & animositatis, qui in medio hostium etiam Christum audebunt libere & intrepide concionari: quemadmodum Paulum hoc loco, & alios quamplurimos, tempore maxi-

maximarum persecutionum. Opus verò est hanc sanctam fortitudinem in nobis excitari; 1. Quod Deus adfuturus est nobis in omnibus quæ mandat: itaque ne mollescat cor nostrum, nec timeamus procedentes in prælium contra hostes Dei, ne expavescamus metuentium. Nam Jehova Deus vester ambulat vobiscum; ut aliquando monuit Hebræos, *Deut. 20.3.4.* 2. Meminerimus omnia iis fore adiumento ad bonum, qui Deum diligunt, & qui ejus gloriæ promovendæ causa etiam pericula suscipiunt. 3. Semper habeamus ob oculos mercedem illam æternam, nobis promissam & in cœlis repositam: ut monet Paulus, *1. Cor. 15. 58.* Itaq; *fratres mei dilecti, stabiles estote, immoti, eminentes in opere Domini semper, quum sciatis laborem vestrum non esse inanem in Domino.*

TERTIUM quod attinet, ipsa prædicatio & ejus materia est in verbis: *Prædicavit Christum, nempe eum esse Filium Dei.* Summam ergo ejus concionum breviter ostendit, quum dicit eum prædicasse, Christum esse filium Dei. Hæc phrasîs & titulus Christi, Filius Dei, duo significat: 1. Naturam vel personam ejus divinam, quem admodum hoc clare docet contra Socinianos locus ille perillustri, *Rom. 1.2.4.* ubi Christus dicitur factus ex Davidis semine secundum carnem, declaratus autem filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis. Ubi quomodo secundum carnem denotat humanam Christi

Rationibus quibus animi fortitudo excitatur: 1.

2.

3.

3. *Ipsa prædicatio.*

Phrasîs vel titulus, Filius Dei duo notat. 1.

naturam, sic etiam secundum Spiritum sanctificationis designat divinam ejus naturam, non verò munus aliquod ei impositum: cumque secundum hanc naturam sit & dicatur filius Dei, sane appellatio filii Dei denotat aliquid Christo essentielle, personam nempe ejus divinam, *Camer. in Matt. 16. 20. p. 144. 2.* Munus ejus mediatorium etiam, cujus respectu vocatur Christus & Messias. Quanquam autem non absurde dici posset, Paulum hoc loco quum probaret Christum esse filium Dei utrunque sensum respexisse: tamen consideratis loci circumstantiis videtur Apostolus potissimum hic egisse de Christo Messia & ejus officio, probasseq; Messiam quem Judæi expectabant jam venisse, & eum esse Jesum Christum filium Mariæ illum crucifixum: illum esse promissum illum filium Dei. Nullum est dubium Paulum ex lege & Prophetis differuisse de promissionibus Dei omnibus in exhibitione Christi impletis. Et hoc suo exemplo docet Ministros verbi Dei, materiam eorum concionum non aliam esse debere, quam Christum Dominum. Quam doctrinam hic non tractabimus, quando quidem eam satis prolixè tractavimus jam in libello nostro de Peregrinatione Pauli.

V E R S U S XXI. & XXII.

Obstupescabant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant; Nonne hic est qui perdidit Hierosolymis eos qui invocabant nomen istud: & huc idcirco venit

venit ut vinc̄tos eos adduceret ad primarios Sacerdotes? Saulus autem magis sese corroborabat, & confundebat Judæos qui habitabant Damasci, collatis testimoniis demonstrans eum esse Christum illum.

E X P L I C A T I O.

HActenus egimus de admirabili conversione Pauli ad fidem Christianam. In his ultimis verbis ad eandem Conversionem pertinentibus narrat Lucas de quibusdam consequentibus tam respectu Pauli ipsius, quam aliorum Judæorum qui eum audiebant. Ergo hic duo tractat Evangelista:

1. Quomodo se gesserint adversarii Pauli?
2. Quid Paulus ipse egerit?

D E P R I O R I.

Hoc in duabus partibus complexus est Lucas:

1. *Obstupescabant*: mirabantur vehementer illud quod accidit tam ex improviseo magnum miraculum: quod nempe is, qui erat hactenus expugnator doctrinæ Christi, jam est illius confirmator & defensor.

I. Judæi
ut se gerunt?

2. *Dicebant*, nonne hic est, &c. ad finem v. 21. quasi dicant: Atqui hic ille ipse est, qui Hierosolymis Christianos interficiebat, ut Stephanum: & hanc ob causam etiam huc venerat, ut quoscunque inveniret illius sectæ homines viros & fœminas, vinc̄tos duceret Hierosolyma. Nunc verò quid rei novæ est & plane inauditæ? nam plane contraria prioribus facit. Prius illos expugnabat

pugnabat, nunc eos defendit & ædificat: prius non permittebat nomen illud invocare, nunc etiam ipse invocat. Magna circa eum profecto mutatio facta est: non aliter ac si ignis humectaret, & aqua ureret.

Observemus ergo hic iterum magnam potentiam Dei & ejus bonitatem, qui ex maximis peccatoribus homines sanctos potest facere, & sæpius facit. Sed de hâc doctrinâ jam supra est dictum satis.

DE POSTERIORE.

2. Ut
Paulus se
gerit? 1.

De Paulo hoc narrat Lucas; 1. Quod sese magis corroborabat, nempe in fide & religione Christiana. Nam in hâc vitâ nunquam ad talem perfectionem pervenimus, quin indies magis magisque proficere possimus. Hinc David orabat identidem Deum, ut ejus oculos illuminaret, quo possit videre mirabilia ejus.

2.

2. Disputabat cum Judæis: & quidem ita ut 1. probaret certissime Christum esse illû promissum Messiam; 2. ut impios Judæos confunderet: i.e. superior eis evaderet disputando: quia scilicet Scripturæ testimoniis & aliis Spiritus S. præsiidiis instructus erat abundantissime.

Doctrin.
Scriptu-
ra S. est
utilis ad
refutan-
dum er-
rores.

Quum verò Paulus Judæos confundebat ex Scripturis, inde satis intelligere possumus Scripturas S. inter alia etiam ad id esse utiles, quod adversarios & male de rebus sacris sentientes convincere potest & refutare. Non absq; causa ergo idem Paulus dixit, 2. Tim. 3. 16. Totam scri-
pturam

pturam esse divinitus inspiratam & utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia. Ad redargutionem nempe errorum omnium. Idem repetit, Tit 1.9. Episcopum oportet esse tenacem fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, ut possit & exhortari doctrina sua, & contradicentes convincere. Hinc à Spiritu S. arma Christianorum describente vocatur gladius, Eph. 6.17. Quemadmodum enim gladio nos ipsos defendimus & adversarium abigimus; ita etiam verbo Dei propulsamus omnes hostes veritatis, uti patet ex exemplo Salvatoris nostri, qui Satanam repulit à se dicendo, Abi Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies, Matt. 4. 10.

Ratio autem confundendi inimicos verbo Dei dependet ab eo, quod illud sit veritas, Christo teste, Joh. 17. 17. *Pater, sermo tuus est veritas.* Quicquid verò ei est contrarium, est falsitas & fraus. Veritas verò semper necesse est, ut vincat & superet suos adversarios: fraus, error, & mendacium ut in fumum abeat.

Videmus ergo quid illi faciant, qui non permittunt plebejo homini lectionem Scripturæ S. Re valde necessaria eos privant: gladium è manibus excutiant, quo possent veritatem vindicare, & errores propellere. Atque hinc est, ut nec suam religionem sciant defendere, neque contrariam refutare.

Objicies: Periculosum est plebejo homini

S

conce-

Ratio.

Usus
Refutat.

Obj. 2.

concedere lectionem Scripturæ: nam 1. Ex male intellecta Scriptura proveniunt hæreses. 2. Multa ibi inveniuntur difficilia, quæ à laicis intelligi non possunt. Sed *Respondeo* ad prius; *primo*, propter abusum rei alicujus bonæ res ipsa tolli non debet. *Deinde*, nullum est periculum; nullus enim fuit hæresiarcha ex plebejis hominibus: quicumque autem dederunt originem alicui sectæ erroneæ, omnes erant homines docti. Ad posterius; Quod si hæc valida ratio esse debet, sequitur ne Ecclesiasticos quidem Scripturam S. legere debere: nam multa ibi inveniuntur, quæ ne illi quidem ipsi intelligunt.

Itaque quum Verbum Dei adeo sit utile, monemur ad hæc:

Ufus 1.
Institut.

Primò, ut illud diligamus supra omnes terrestres thesauros, charius illud habeamus omni auro, argento, & gemmis pretiosis: æstimantes sententias & dicta, quæ ex illo didicerimus, pro excellentissimis animæ & corporis ornamentis. Sane Davidem ita affectum fuisse videmus. Nam *Psal. 119. 72.* ait: *Melior est mihi lex oris tuæ multis millibus nummorum aureorum & argenteorum.*

2. Hor-
tatorius
ad lectio-
nem Scri-
pturæ se-
cularem.

Secundò, ut illud diligenter legamus, in eo meditemur dies & noctes: quandoquidem ex eo promere possumus tela ad conficiendos omnes errores. Verbum Dei est armamentarium fidelium, imò ipsa sunt arma. Est apotheca, in qua reperies medicamina contra omnis generis morbos. Hinc Chrysostr. monet; *Comparete vobis*

vobis Biblia animæ pharmaca: si non vultis tota, saltem Evangelia, Acta, & Epistolas. Ne unus quidem Patrum est, qui ab lectione Scripturarum abducatur, sed omnes ad id monent. Idem *Chrysof.* hom. 3. de *Lazar.* monet artifices, mulieres, & infimos quosque hominum. *Athanas.* tom. 11. p. 248. *August.* epist. 146. virginem *Demetriadem*, & alii. Vide etiam præfationem *Erasmi* in Paraphrasin *Matthæi*. Verum etsi abessent patrum istorum Ratio 1. admonitiones: tamen ipsum mandatum Dei summam apud nos obtinere deberet autoritatem. Christus ipse monet, *Joh. 5. 39.* Ut scrutemur Scripturas. *Psal. 1. 2.* Beati pronuntiantur illi qui in lege Dei student dies atque noctes *Deut. 31. 11.* ita loquitur: *Quum veniens totus Israel comparebit ante faciem Jehovæ Dei tui in loco quem elegerit: legitote legem hanc coram toto Israële, illis audientibus.* *Paulus Col. 3. 16.* Sermo Christi inhabitet in vobis copiose cum omni sapientia, docendo & admonendo vos mutuo psalmis, & hymnis, & cantionibus spiritualibus, cum gratia canendo in vestro corde Domino. Quot verò habemus hujus rei exempla? Spiritus S. laudat Bereenses, *Act. 17. 11.* Bereenses erant generosiores Judæis Thessalonicensibus, qui receperunt sermonem cum omni alacritate, quotidie examinantes Scripturas an hæc ita se haberent. 2. *Cor. 1. 13.* *Paulus* ait: Non alia scribimus vobis quam quæ legitis, aut etiam agnoscitis: unde patet Corinthios Scripturas S. legisse. Quemadmodum etiam illi, ad quos *Petrus* ita; 2. *Ep. 1. 19.*

Habemus firmissimum sermonem illum propheticum: quem bene facitis quod attenditis, velut lucernam splendentem in obscuro loco, usque dum dies illuxerit, & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Hanc lucernam sequuti constanter, certum est nos perventuros eo, ubi non opus est sole vel luna ut luceant ibi: nam gloria Dei illustrat civitatem illam cœlestem, & lucerna ejus est agnus, Apoc. 21.23. Huic agno immaculato qui Paulum mirabiliter ad fidem suam convertit & nos etiam, una cum Patre ejus & Spiritu Sancto, Trinitati benedictæ sit laus & gloria in secula seculorum, Amen.

Finis explicationis Historiæ Conversionis Pauli.

LAUS DEO OPT. MAX.



INDEX

INDEX
DOCTRINARUM

*Quae in explicatione Historiae conversionis Pauli
fusius tractantur.*

- I. **P**rimaria intentio & summum desiderium hostium Ecclesiae est, fideles e medio tollere.
- II. Malitia eorum est inexplebilis.
- III. Eorum malitiae obnoxii sunt discipuli Christi.
- IV. Aliquando ii qui primi sunt in mundo vel Ecclesia, maximi solent esse persecutores fidelium.
- V. Persequutorum consuetudo est, nolle videri se male facere.
- VI. Persequutores nulli parcunt labori aut sumptibus, modo possint nocere Ecclesiae.
- VII. Doctrina Christi est via.
- VIII. Persequutorum Ecclesiae major est malitia, quam aliorum hostium.
- IX. Fideles quamdiu hic sunt, subjecti sunt suis adversariis.
- X. Deus non raro quosdam homines ad se trahit nolentes & resistentes.
- XI. Deus nonnunquam suos permittit ad extrema venire.
- XII. Dominus Christus habet satis mediorem ad compescendos etiam furiosissimos quosque, suae Ecclesiae hostes.
- XIII. Nemo hominum potest consistere in iudicio Dei.
- XIV. Initium conversionis nostrae ad Deum est humilitas.
- XV. Ministri Ecclesiae auditores suos arguere debent peccatorum.
- XVI. Meditatio de peccatis nostris est medium salutaris conversionis.
- XVII. Qui Ecclesiam persequuntur, persequuntur ipsum Christum.

I N D E X

- XV III. Conatus hostium Ecclesiæ sunt frustranz.
- XI X. Metus & timor est argumentum humilitatis.
- X X. Reprehensio peccatorum est plane necessaria.
- X X I. Quem Deus semel in patrocinium suum recepit, eum nunquam deserit.
- X X I I. Deus aliquando ex hostibus facit sibi testes.
- X X I I I. Malitia hostium non potest ulterius serpere, quam Deus permittit.
- X X I V. Homo peccator ad solam Christi vocem expavescit.
- X X V. Fideles Deo & ejus verbo sunt obedientissimi.
- X X V I. Externi eventus & afflictiones accidunt hominibus etiam piissimis.
- X X V I I. Deus res sibi contrarias scit & potest reconciliare, & ex lupis facere agnos.
- X X V I I I. Dominus novit quemlibet suum cultorem in specie.
- X X I X. Deus habet suos cultores ubique, etiam in medio hostium.
- X X X. Christus habet imperium in suos discipulos.
- X X X I. Bonæ occasiones non sunt negligendæ, præsertim bene vivendi.
- X X X I I. Quilibet Christianus debet procurare conversionem sui proximi.
- X X X I I I. Hominis Christiani est officium Deum orare.
- X X X I V. Qui vult à Deo obtinere quod petit oportet ut continuet in precibus.
- X X X V. Quemcunque Christus ad se recipit, eum nunquam deserit.
- X X X V I. Christiani debent alii alios docere.
- X X X V I I. Aliquando Deus dum confert sua beneficia, addit signa externa.

XXXVIII.

DOCTRINARUM.

- XXXVIII. Quem Deus vulnerat, eum iterum sanat.
- XXXIX. Sancti etiam obnoxii sunt timori.
- XL. Fideles de suis hostibus & inimicis modeste loquuntur.
- XLI. Christiani qui manifeste non sunt impii, possunt vocari sancti.
- XLII. Qui persecutiones ob Evangelium patiuntur, sunt Christi.
- XLIII. Impii usurpant sibi potestatem in pios & fideles.
- XLIV. Sæpius ii qui deberent esse Ecclesiæ amici, sunt ejus inimici.
- XLV. Conditio piorum in terra misera.
- XLVI. Christus est verus Deus.
- XLVII. Qui Christum recipiunt, statim debent eum invocare.
- XLVIII. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
- XLIX. Deus aliquando ex magnis peccatoribus facit sibi magnos servos in Ecclesia.
- L. Ministri Ecclesiæ tantum sunt organa Dei & Christi.
- LI. Periculosa est conditio fidelium Dei ministrorum.
- LII. Deus plerumque in annuntiando suo Evangelio utitur hominibus simplicibus.
- LIII. Ceremoniæ etiam in Novo Testam. adhiberi possunt.
- LIV. Qui in Christum credunt, fratres tibi sunt.
- LV. Christus mittit ministros Ecclesiæ.
- LVI. Deus non deserit suos in afflictionibus.
- LVII. Ministri Ecclesiæ debent esse instructi donis necessariis.
- LVIII. Homo ante suam conversionem est in spiritalibus cæcus.
- LIX. Qui Christum recipiunt baptizari debent.


LX. Qui

INDEX DOCTRINARUM.

- LX. Qui amant animam suam, rebus divinis maxime delectantur.
- LXI. Fideles debent se à mundo separare.
- LXII. Fideles promovent studiose salutem suorum proximorum.
- LXIII. Deus aliquando quosdam instruit magnâ animi fortitudine.
- LXIV. Scriptura Sacra est utilis ad refutandum errores.

FINIS INDICIS DOCTRINARUM.

INDEX



I N D E X

R E R U M Memorarium.

A ctiva & passiva obedientia quid? Pag. 124.	
Adversarii.	13. 14. 116. 145.
Adorationis Virginis Mariæ authores.	37.
Adverse res.	125.
Adamitarum error.	161.
Afflictiones cur via ad cælum, 24. quid in nobis excitant, 36. Deus piorum novit, 49. piorum bonum exitum habent, 50. sunt breves, ibid. retinent nos apud Deum, 134. à Deo veniunt, 135. sunt pignus nostræ adoptionis, ibid. sunt utiles, ibidem & 28.	
Afflictionibus reddimur similes cui? 36. non debemus iis percelli, ibid. in iis gaudendum,	49.
Afflictos Deus amat,	ibid.
Afflictis Spiritus S. adest,	50.
Afflictorum status.	51.
Afflictionum piorum & impiorum differentia.	133.
Amor Dei qualis. 168. cur constans.	ibid.
Amor Christi quid?	197.
Anabaptistarum enthusiasmus, 124. error.	150.
Ananiæ descriptio. 138. domus. 142. visio. 146. obedientia.	152. 222.
Andreæ mors.	205.
Anhaltinus Princeps.	224.
Apollinis templi inscriptio.	179.
Atheniensis civis factum.	287.
Auditores verbi Dei officium.	88.

INDEX RERUM

B

- Baptizari in nomine Trinitatis quid? 126.
 Bona opera non sunt meritoria vitam æternam 76.
 77. non possunt consistere in Dei iudicio, *ibid.*
 sunt imperfecta *ibid.* sunt coram Deo impura
 ibid. sunt necessaria. 78. Deus ea præcepit, *ibid.*
 gratitudinis loco sunt pro redemptione, *ibid.* cer-
 tos nos reddunt de fide nostra, *ibid.* retinent bo-
 nam conscientiam, *ibid.* habent utriusq; vite
 promissum. 79.
 Is proximus iuvandus, *ibid.* Deus celebratur, *ibid.*
 In bonis operibus non est confidendum. 77.

C

- Cæcitas, summa miseria. 130
 Calumniarum quarundam depulsio. 35
 Calamitates etiam innocentes tangunt. 134
 Castigatio. *ibid.*
 Christus quid docet, 23. satis habet mediocum ad
 hostes suos propellendos, 66. non semper exerit
 suam potentiam, 67. potentior est omnibus suis
 hostibus, 68. est Deus omnipotens, 207. 208. nun-
 quam suos deserit, 110. jus habet in suos, 147. fide-
 lium redemptor, 148. Angelos non redemit, *ibid.*
 quos semel ad se recepit nunquam deserit, 167.
 num pro te sit mortuus quo pacto cognoscas, 195.
 Christi doctrina via ad cælum, 43. via hac caren-
 tes errant, 44.
 Christi discipuli quinque. 23
 Christiani sunt peregrini, 45. variis expositi peri-
 culis, *ibid.* se invicem docere & admonere debent,
 156. 157. 158. Charitas

MEMORABILIVM.

<i>Charitas quomodo de proximo judicare & loqui sit solita.</i>	188
<i>Conditio piorum in terra.</i>	205
<i>Consolatio in afflictionibus.</i>	27. 34. 35. 49
<i>Conscientia bona quæ, 196. soli Deo subjecta,</i>	189
<i>In cruce non nimis tristandum, 64. manus enim Dei etiam in adversis agnoscenda,</i>	ibid.
<i>Cura Dei circa fideles duplex.</i>	110

D

<i>Damasci hostes erant Christianis,</i>	142. 143
<i>Deus quis & qualis, 122. non est autor peccati. 36 nec exitii humani, 56. finit suos quandoque ad extrema venire, 60. omnium temporum articulos probe novit, 61. humiles solum convertit, 82 quatuor modis apparuit suis, 146. quem vulnerat sanat, 175. 176. quomodo Deus nos ad se ducit, 213. punit peccatores, 72. se timentibus promissiones facit, ibid. ex peccatoribus magnis magnos facit ministros, 215. sine providentia Dei nihil accidit,</i>	186
<i>de Dei auxilio nunquam est desperandum,</i>	62
<i>Deo nihil præscribendum, 64. coram Deo & ejus judicio nihil consistere potest,</i>	73
<i>Deum libenter sequamur,</i>	214
<i>Dehortatio à persecutione Ecclesiæ,</i>	20. 21
<i>Diabolus quomodo hujus mundi Dominus vocetur,</i>	199.
<i>Diaboli odium erga Ecclesiam, 19. erga homines, 199 erga Christum,</i>	ibid.
<i>Divinitas Christi ex miraculis probatur,</i>	208
	<i>Ecclesia</i>

INDEX RERUM

E

*Ecclesia aliquando habet persecutores qui primi sunt
in hoc mundo,* 29

Ecclesia stante stat politica, 41. 42. sempiterna est, 100
101.

Ecclesiam qui persequuntur Christum persequuntur,
97.

Erudientium præmium, 225

Euangelii doctrina cur exosa, 35

F

Fiducia in Deo cur & quomodo collocanda, 62. 210

Fiducie signa, 63

*Fideles quando impios arguant peccatorum, 13. per-
secutionem patientes innocentes sunt, 16. subje-
cti sunt in mundo adversariis, 47. cur affligan-
tur, ibid. sunt membra Christi, 98. causa Dei
patiuntur, ibid. nunquam extirpari poterunt,
100. Deo & ejus verbo obediunt, 124. Cur? 126
in perpetua sunt Dei memoria,* 140

Fundamentum religionis. 106

G

Gentilium de Judæis mendacium, 106

eorundem mendacium de Christianis, *ibid.*

Gladii duo quales tradantur Ecclesie, 14

H

Heretici num tolerandi, 40. sunt duplices. *ibid.*

Hostes Dei punientur, 28

Hostium Ecclesie primaria intentio, 11

*Hostium Christi frustranei conatus, 69. 100. de veri-
tate Dei quo pacto testimonium perhibent,* 115
Hostes

MEMORABILIMUM.

Hofte: Dei quibus sint fimiles,	218
Homo non ex externis judicandus, 135. ejus cæcitas,	179
Homines quo pacto Deo refiftant, 53. quo pacto ad fe trahit.	54
Hominis magna miferia.	55
Humilitatis definitio.	80
Humilitas converfionis initium,	ibid.
Humiles cur effe debemus, 81. ejus caufa,	ibid.
media, 82. figna,	ibid.
Humilitas impiorum qualis,	103

I

Impatientes cum urfo & lauro comparantur,	108
Impii nihil habent, 198. eorum proprietates,	ibid.
Impii non funt veri rerum poffeffores, fed ufurpato- res tantum,	ibid.
Inferni conditio intolerabilis, 95. ejus cruciatus æterni,	ibid.
In judicio Dei quomodo poffumus confiftere,	79
Jus abfolutum quid?	146
Justitia & fanctitas Chrifti quid? 189. hujus per fidem applicatio eft neceffaria,	ibid.

L

Labor non eft fugiendus, 225. quia nihil honeftius quam laborare,	226
Lux quæ Paulum circumfudit qualis,	65

M

Malitiæ adverfariorum caufæ,	12. 17
Malitia hoftium Ecclefiæ inexplebilis,	18
Malitiam hoftium quo pacto Deus impedit,	120
Mala funt divina providentiæ,	154

Mala

INDEX RERUM

<i>Mala imprecari quando licet,</i>	183
<i>Maria non est adoranda,</i>	37
<i>Meditatio peccatorum salutaris in quo consistit,</i>	90
<i>Meritis nostris non debemus niti,</i>	79
<i>Metus duplex, 103. salutaris unde ?</i>	104
<i>Ministri verbi Dei quid ? 120. 217. particularia imò & singularia peccata arguunt, 84. quæ illic observanda.</i>	85
<i>Murmuratio cujus signum.</i>	102
O	
<i>Objectiones contra preces diluuntur,</i>	161
<i>Occasiones bonæ non negligendæ,</i>	153
<i>in Oratione quid observandum ?</i>	162
<i>Orantes cur non semper exaudiuntur.</i>	165
P	
<i>Paulus duo habuit nomina, 6. quando sic vocari cæpit, ibid. post missionem nunquam vocatur Sauli nomine, 8. quo anno fuit conversus, ibid. quo tempore ætatis</i>	9
<i>Pauli misera conditio, 130. obedientia, 123. electionis finis, 122. sortis futuræ prædictio,</i>	221
<i>Peccata tripliciter committuntur,</i>	58
<i>seriò fugienda, 71. sua extenuant homines, 94 omnia sunt magna, ibid. quia omnia Deo exosa,</i>	95
<i>Peccati turpitude unde cognoscitur,</i>	19
<i>Peccatorum catalogus,</i>	104. 105
<i>Peccator nullus desperare debet,</i>	136
<i>Persecutores Ecclesiæ nolunt videri male facere, 33. semper habent prætextus,</i>	34
	<i>Persequi</i>

MEMORABILIMUM.

<i>Persequi quid sit?</i>	84
<i>Precatio quid?</i>	159. 160
<i>quot habet partes, ibid. quomodo precandum?</i>	163.
<i>Preces continuari debent,</i>	ibid.
R	
<i>Rebelle in Christum reprehenduntur,</i>	149
<i>tales qui sunt, ibid. ne simus quid agendum.</i>	151
<i>Regenerare peccatorem quam magnum.</i>	216
<i>Reprehensio peccatorum utilis,</i>	86. 106
<i>Reprehensiones cur quidam non patiuntur,</i>	88
S	
<i>Sancti non sunt invocandi,</i>	162. 163
<i>Sanctitas quid? 188. 189. ad sanctitatem exci-</i>	
<i>tantia, 190. 191. media,</i>	ibid.
<i>Saulus vide Paulus.</i>	
<i>Sauli malitia describitur,</i>	81
<i>persecutionis propositio,</i>	181
<i>objectum persecutionis,</i>	187
<i>Saulo qualis potestas data,</i>	204. 205
<i>Secure viventes miseri,</i>	93
<i>Servatorem mundi cur Deum esse oportuit,</i>	208
<i>Socinianorum refutatio.</i>	148. 209. 210
<i>Spiritus precum quomodo acquiritur,</i>	166
<i>Successionem quomodo Patres allegarint.</i>	204
<i>Successio vera in quo consistat,</i>	ibid.
<i>Superbi reprehenduntur,</i>	122
<i>Superbie causa,</i>	122. 123

T

<i>Tarsus quid, 155.</i>	
<i>conditor ejus,</i>	ibid.
	Timor

INDEX RER. MEMORAB.

<i>Timor duplex,</i>	70
<i>Timoris mali signa,</i>	<i>ibid.</i>
<i>Timoris boni signa,</i>	<i>ibid.</i>
<i>Timorem Dei excitantia.</i>	71

V

<i>Vanitas propositorum Sauli,</i>	99
<i>Visio quid?</i>	146
<i>Visio Ananiæ,</i>	<i>ibid.</i>
<i>Visio Bruti,</i>	<i>ibid.</i>
<i>Vocem Dei, homines quomodo audire recusant.</i>	213

214.

F I N I S.

